

**Analecta
Plautina de
figuris
sermonis I.**

Friedrich Leo

24.21.913.2, (1)



Harvard College Library

FROM

.....
By exchange.
.....

.....
31 Oct. 1896.
.....

① *Wood* *Ep. no. 813.2.*
I
AD PRAEMIORVM

A QVATTVOR ORDINIBVS PROPOSITORVM
PVBLICAM RENVNTIATIONEM

QVAE FIET DIE III. MENSIS IVNII A. MDCCCXCVI

HORA X

HVIVS ACADEMIAE CIVES

ET QVI EIVS STVDIIS FAVENT

INVITANT

VNIVERSITATIS GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR ET SENATVS

ANALECTA PLAVTINA

DE FIGVRIS SERMONIS I

SCRIPSIT

FRIDERICVS LEO

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.

WILH. FR. KAESTNER.

Sp. 23. 213. 2

Est

8. 1. 18. 18

Quaestionibus Plautinis meis adicere in animo fuerat caput de sermone Plauti, in quo breviter et succincte, ut eius generis libro convenit, de statu sermonis ac de proprietate scriptoris disputarem; quam disputationem cur proferre distulerim in prooemio eius libri dixi. interim de collocatione verborum caput attigi in relationibus societatis Gottingensis (1895 p. 415 sq.); iam quaestionem cum eo capite coniunctam, quae est de figuris sermonis, incohabo saltem, si ad finem perducere non licebit. atque initium ab ea figura capiam quam scholastici ἀπό κοινοῦ vocant, occasione commentationis academicae in prolixitatem abutens et magis quam illud ὄλω τῷ θύλακῳ metuens ne figuram ad Plauti sermonem pertinere non videar comprobavisse.

Vocabulo ἀπό κοινοῦ scriptores de figuris (Spengelii rhet. gr. III p. 76. 94. 46) et grammatici, quorum adnotationes per poetarum commentarios dispersae leguntur, quamlibet partem orationis significant quae cum semel posita sit ad duo plurave sententiae membra quolibet modo pertineat, λέξιν ἅπαξ μὲν λεγομένην, πολλάκις δὲ νοουμένην καὶ συντασσομένην.¹⁾ velut ad Apollonium Rhodium haec adnotata sunt: I 246 (ἀλλ' οὐ φουκτὰ κέλευθα, πόνος δ' ἄπρακτος ἰοῦσιν) κατὰ κοινοῦ τὸ οὐ, ἵνα ἢ ἀλλ' οὐ φουκτὰ κέλευθα οὐδ' ὁ πόνος ἄπρακτος, I 811 (αὐτως δ' ἀδμητές τε κόραι χήραί τ' ἐπὶ τῆσι μητέρες ἄμ πτολίεθρον ἀτημελέες ἀλάληντο) κατὰ κοινοῦ τὸ ἀλάληντο, III 579 ἀπό κοινοῦ τὸ στεῦτο, a quo vocabulo orationis

1) Homeri et Sophoclis scholia quaedam indicavit Mehlhornius p. 5, Euripidea congressit Schwartzius II p. 413. promiscue ponuntur a grammaticis ἀπό κοινοῦ et κατὰ κοινοῦ (hoc unum in scholiis Aristophanis, ad Vesp. 1267, Lys. 343. 795), sed κατὰ κοινοῦ etiam ut generalem significatum vocabuli indicet, ut schol. Med. 412 τὸ ἐμὴν κατὰ κοινοῦ εἶρηται, οὐ δι' ἐαυτὴν μόνην, schol. Apoll. Rh. IV, 150 κατὰ κοινοῦ τὸ γηγενέος, ὡς καὶ ἄλλα ἐρπετά (cf. schol. IV, 1569 κατὰ τὸ κοινοῦ ἤπειρον εἶρηκε τὴν γῆν), denique ἐκ κοινοῦ, in Homericis saltem. magnam exemplorum copiam collegit scholiasta ad K 167, fere omnia eius generis ut verbum in prima sententiae parte positum etiam ad alteram pertineat.

obliquae longior circuitus incipit; ad Callimachum haec: III, 33—36 (τρὶς δέκα τοι πολίεθρα — ὀπάσσω — τὰ μὴ θεὸν ἄλλον ἀέξειν εἴσεται, ἀλλὰ μόνην σὲ καὶ Ἀρτέμιδος καλέεσθαι, πολλὰς δὲ ξυνη πόλιας διαμετρήσασθαι) ἀπὸ κοινοῦ τὸ εἴσεται et ἀπὸ κοινοῦ τὸ ὀπάσσω σοι, 56 ἀπὸ κοινοῦ τὸ ἔδεισαν, scilicet βαρὴν στόνον ut non a proximo verbo sed ab eo quod v. 51 praecessit pendere videretur, IV, 298 ἀπὸ κοινοῦ τὸ φορέουσιν, ut verbum in fine enuntiationis positum ad nomen utrumque pertinere indicaretur, simili ratione V, 13 ἀπὸ κοινοῦ τὸ οἴσεται. haec poetarum exempla elegi, ut appareret illius figurae nomine grammaticos simplices sententiarum structuras explicare in carminibus quae ipsa figurae artificia non raro praebeant. sed versibus quales sunt ἢ ἔμεν ἄτης πῆμα δυσίμερον ἢ τόγ' ἐνίσπω φύζαν ἀεικελίην vel ἐν δὲ ῥυηφενίην ἐβαλές σφισιν, ἐν δ' ἄλις ὄλβον raro adnotatum invenimus τὸ ἀπὸ κοινοῦ¹⁾. scilicet scholastica figurarum vocabula artis usum ut fit non illustraverunt, quae dum usquequaque interpretationi sublevandae adhibent, subtilissima quaeque poeticae elocutionis genera aut latebant grammaticos aut figurarum cancellos feliciter effugiebant.

Tamen si non nomine, at ratione opus est quae cognatarum locutionum analogiam comprehendat; ac verum est in poetarum lectione multa secus intellecta esse, cum signum deficeret similium locorum indoli significandae. non defuerunt autem qui, postquam Godofredus Hermannus figurarum usum ex poetarum interpretatione expulit, rem pro nomine amplecti studerent, velut in Callimacho interpretando Naekius (opusc. II p. 72) Meinekius Schneiderus (I p. 206), in Theocrito Meinekius (p. 305), in Horatio Kiesslingus et, ne multos enumerem, in Euripide Wilamowitzius (Her. I² p. 62). Data opera 'de schematis ἀπὸ κοινοῦ ratione et usu' primus egit Mehlhornius in programmate Glogaviensi a. 1833, non satis ille figurae genera discernens, sed laudandus quod singulos interpretari malebat quam locorum multitudinem congerere. secuti sunt alii, inter quos rem complecti videtur magis quam complectitur Haasius praelectionum de sermone latino p. 203 sq., diligenter de Horatio disputavit Ernestus Mueller (observ. Horat. p. 26 sq.), de Horatio et elegiacis Romanis Koldewey (Z. G. W. XXXI p. 337 sq.), de Tacito, qui elocutioni poeticae iure adnumeratur, Georgius Clemm (de breviloquentiae Taciteae quibusdam generibus p. 113 sq.), de multis graecorum et latinorum poetarum locis Henricus Boldt (de liberiore linguae gr. et lat. collocatione verborum p. 69 sq. et

1) Velut ad Eur. Hec. 211 (καὶ σοῦ μὲν, μάτερ, δυστάνον κλαίω πανδύροισι θεήνοισι, τὸν ἐμὸν δὲ βίον λάβαν λύμαν τ' οὐ μετακλαίωμα) inter alia adnotatur ἢ ἀπὸ κοινοῦ τὸν βίον.

passim). quorum opera hoc effectum est, ut ἀπὸ κοινοῦ appelletur ea figura qua pars orationis ad duo sententiae membra sententiasve pertinens non in priore ponatur, sed in altera; quo fit ut auditoris animus, nisi intra paucorum vocabulorum terminos figura versatur, ultra priorem periodi partem suspensus teneatur. quod si verbum commune in fine demum totius periodi ponitur, figura plerumque nulla est; quo fit ut ad figuram ἀπὸ κοινοῦ facile hyperbaton aliquod accedat et multiplex reddat sermonis artificium. plane diversum esse apparet, quod non veteres tantum sed novelli grammatici plerique cum illo confuderunt, loquendi genus quo verbum in priore sententia positum in altera iterum auditur; cuius generis exempla quaedam in huius capituli fine adnotabo. ceterum si quis inter figurae sic circumscriptae genera ita distinguere velit ut et rei historiam et rerum varietatem exhauriat, suadeo ut grammaticum figurae genus a rhetorico distinguat, scilicet id quod necessitatem structurae habet ab eo quod sensui auditoris commendatur; velut haec εὐθύς ἀφείς τὸ ἐς τὴν Χίον ἔπλει ἐς τὴν Καῦνον (Thuc. VIII, 41) grammaticam rationem habent, haec sine qua versus mihi nullus verba potest iustos aut reperire pedes (Tib. II 5, 111) rhetoricam. nos certum dumtaxat exemplorum orbem digesturi commodiorem legentibus conspectum efficiemus secundum partium orationis communi vice positarum ordinem disputantes.

Sed antequam ad Plautum accedam, dicendum est quo id consilio facturus sim. nempe rhetoricum figurae genus a poetis graecis novellis potissimum excultum et per omnia ductum est; unde ad poetas Romanos haec quoque sermonis artificia permanere. atque multis persuasum esse video, cultissimae tantum et deliciarum plenae carminum arti eius figurae usum convenire. sed non facile poetarum subtilitati placet frequenter usurpare figuram cuius non ad intimam linguae naturam radices pertineant. certe per latinum sermonem positurae vocabulorum ἀπὸ κοινοῦ vestigia late patent, etiam per pedestrem sermonem, non Senecae dico (de quo nonnulla Hauptius opusc. II p. 284, Gertzius de clem. p. 264) aut Taciti ac ne Livii quidem (de quo Vahlenus ind. lect. 1890 p. 9 sq.), sed Ciceronis. atque nullo modo factum esse potest ut a Graecis demum ad Romanos illa verborum componendorum facultas pervenerit. quo argumento si quaeris, duo sunt: primum quod a primis inde litterarum Romanarum temporibus invenitur, id quod deinceps comprobabo; deinde quod non altiori tantum et artificioso sermone convenit, sed cottidiano et solutiori. hic quoque Plauti exemplum plurimum valet, sed etiam aliorum aliquid, velut Ciceronis qui etiam in epistulis subinde illa figura usus sit; Catulli,

qui perparce ei locum dederit, atque in leviore potius stilo quam in carminibus ad Graecorum novellorum exemplum compositis; Horati, qui omnium frequentissime vocabula ἀπὸ κοινῶν posuerit, sed in sermone etiam frequentius quam in canticis; item Lucilius subinde, Terentius omnium parcissime, hoc quoque nomine a Plauti sermone discrepans. neque vero, etiamsi latinum sermonem exceperis, graeci propria est illa verborum compositio. certum aliquod eius genus, quo pars orationis duobus sententiae membris, ad quae pariter pertinet, medium inseritur, cuius generis multa exempla etiam e latino sermone promemus, admodum usitatum esse poetis Germanicis Hauptius exposuit in commentario Ereki p. 391 sq., adlata locutionum copia quales sunt *als der dâ wirt erwecket von swaerem troume erschrecket* vel *dô spranc von dem gesidele her Hagene alsô sprach*. alii attulerunt Goethianum illud *mir sollt' er um die köstlichsten gewänder, nicht feil um einen königsmantel sein* vel illud *als du zu pferden nur und lust nur bezeigtst zum acker*, quibus alia infra addam, hic ex sermone familiari apposuisse contentus quod Lachmannus, magnus artifex in genere epistolico, scribit Hauptio (p. 48): *ich zweifle ob ich dâs geschick, gewiss hätte ich nicht die ausdauer gehabt*.

Ergo neque ad graecanicam neque ad poeticam aut rhetoricam dicendi rationem continuo referri oportet si in sermone Plautino vocabula ἀπὸ κοινῶν posita agnoscuntur. quaedam eius generis 'omni latinitati communis' enotavit Vahlenus ad Men. 1073, pauca addidit Niemeyerus stud. Plaut. p. 5, alia ego in quattuor fabularum editione indicaveram, reliqua in editione iam perfecta vindicavi; ceterum quae paulo subtiliore ratione composita sunt furca critica expelli solent, nisi quod Vssingius nonnulla conservavit. sed multa figurae exempla interpretatione egent; atque nimis quam vere dictum est non satis esse recte institui negotium nisi etiam dicatur cur recte instituatur; sane ne id quidem satis esse expertus scio, sed non scribo hominibus Plautinis, qui cum praeter Plautum nihil legant ne Plautum quidem intellegunt, sed philologis.

Reliquorum poetarum Romanorum pleraque quae huc pertinent parata me habere puto atque scriptorum quoque aliquot ut Ciceronis Taciti aliorum. sed quoniam nota comprobare aut ab aliis collecta iterare nihil attinet, vetustiorum tantum poetarum et, ut cultissimae latinitatis et a poetarum rhetorum peregrinorum usu pariter remotae exempla suppetant, Ciceronis locos qui quidem praesto sunt Plautinis addam, nisi quae recentiorum poetarum exempla aut rei demonstrandae apposita videantur aut parum intellecta ad interpretationem ipsa invitent; nimirum eam licentiam

concedit hoc commentandi genus, ut animo indulgeam in explicandis elegantiorum poetarum conaminibus, etiamsi ad Plauti verba clarius illustranda non multum conferant.

In universum dicendum est, omnium frequentissimam esse eam figurae structuram, ut sententia bipertita vel vocabulorum comprehensio particulis copulativis contineatur, posse autem partes sermonis quovis particularum genere coniungi distinerive, posse inconexa membra esse vel per anaphoram conexas; atque haec fieri possunt et ubi duo nomina ad unum verbum pertinent et ubi enuntiationum duarum altera alteri subiuncta est vel suo iure utraque utitur.

Iam, sicut dixi secundum partes orationis me disputationem dispositurum esse, incipiam a nominibus attributis ἀπὸ κοινοῦ collocatis. prius autem ostendam quale enuntiationum genus exceperimus, cum diximus vocabulum commune fere non in fine periodi locum habere. scilicet figuram non habet Trin. 650 *cape sis virtutem animo et corde expelle desiderium tuo* aut, si habet, sensu vix percipitur, quoniam quo loco positum est *tuo* facillime ad nomen utrumque refertur neque in priore sententiae parte nomen attributum desideratur. paulo aliter conformata est sententia Asin. 834 *hoc agitemus convivium vino ut sermone suavi*, ubi *ut* non intellegitur antequam intellectum sit *suavi* ad *vinum* item ut ad *sermonem* pertinere, immo proprio ad *vinum*, translato sensu ad *sermonem*. sed satis hoc erat subtilitatis, ut post Pium editores omnes et pro ut scriberent et, quod in talibus accidere solet, suam sermoni venustatem detergerent.

Propriam figurae virtutem duo nomina composita interposito adiectivo ostendunt Asin. 245

nunc pergam ad forum atque experiar opibus, *omni* copia ubi Vssingius: 'adiectivum *omnibus*, quod desideratur, alteri membro additur'. nam sic loquitur Plautus Stich. 45 *omnibus obnixae opibus nostrum officium meminisse decet*, sic Merc. 111 *ex summis opibus viribusque usque experire, nitere* et similiter alias, nec potuit *opibus* sine adiectivo ponere, ut Lorenzius ad Mil. 620 opinatur, cum alii verba commutaverint potius. quid sermo latinus postulet, haec Ciceronis docebunt: pro Cluent. 18 (*hoc iudicium*) *omnibus eius opibus et copiis comparatur*, epist. XII 7, 2 *omnes quae in istis partibus essent opes copiaeque* (cf. in Catil. III 16, pro Flacco 14), de lege agr. II 32 *tantis confirmat opibus et copiis*, post red. in sen. 19 *maximis opibus et copiis*¹⁾. Plautus igitur alteri nomini, cuius numerum a

1) Praeterea *opes* (et) *copias* componit de lege agr. II 82 pro Balb. 39, ad

priore diversum fecit, ipsi inconexo apposuit adiectivum etiam priori necessarium, cui iam, cum ipsa forma ab eo differat, tantum materies ut ita dicam adiectivi adhiberi potest. plane eodem modo locutus est tituli Lambaesitani poeta CIL. VIII 2632, 9

ades ergo cum Panisco
memor hoc munere nostro
natis, sospite matre

ac similiter M. Aemilius Artema CIL. VI 11027, 9 *aditum ambitum ne ullum accessum habeat*, ut sentias quam latina sit verborum compositio. huic alteri titulo similis est quod in Persa legimus v. 253

(Iovi) opes spes bonas copias commodanti,
ubi adiectivum ad *opes spes copias* pariter pertinet, inconexa verborum compositio est ut in Asinariae versu, nomina eodem modo conserta quo Cicero fecit in Catil. III 16 *omnes Catilinae copias, omnes spes atque opes his depulsis urbis periculis concidisse*.

Saepius quam adiectivum duobus nominibus pronomem possessivum ita accedit ut secundo praeponatur et cum particula copulativa continuo coniungatur. fieri id video in his versibus Plautinis, atque in omnibus quidem ut aut numero aut genere aut utroque alterum nomen cum pronomine a priore differat: Bacch. 1105

hic quidēst pater Mnesilochi, euge, socium aerumnae et
mei mali video.

de versu male inciso propter synaloepham dubitationem movi quaest. Plaut. p. 313; sed pronomem ne quis moveat (*socium, euge, aerumnae atque mali video* Hermannus) similis structurae exempla monent. Poen. 1178

haud sordere visust
festus dies, Venus, nec tuom fanum,

Pseud. 870

quem medicamento et suis venenis dicitur
fecisse rursus ex sene adolescentulum,

Trin. 647

culpa maxume et desidia tuisque stultis moribus¹⁾,

Att. XIV 4, 2, de or. II 342, Cat. mai. 8, Lael. 51, de off. II 1, *copias et opes* Philipp. XI 31, epist. XV, 3, 2, addit *facultates* et alia Lael. 55, de off. I 9, II 9, III 22, Tusc. V 61; cf. *omnibus opibus viribus* Tusc. III 6, *omnibus viribus atque opibus* ib. 25. *cum omni copia* Pompeius dicit non eodem significato in epistulis quas Cicero suae ad Att. VIII 12 adiecit (A, 1; C, 2. 3); Plautus cur singularem numerum posuerit non inutile est quaerere.

1) Hoc modo ut per *que (ve)* particulam adnexa communis pars orationis media ponatur, apud Plautum perraro fit, frequenter in sermone poetico, cuius

Poen. 396

capias restim ac te suspendas cum ero et vostra familia, quorum locorum nullo poetae consilium potest obscurum esse. item pronomen demonstrativum Pseud. 597

quoi iussit | symbolum me ferre et hoc argentum. consimiliter Catullus 56, 2 *dignamque auribus et tuo cachinno*, audacius, etsi librarii obscurarunt, Dirarum poeta v. 26 *lusibus et multum nostris cantata libellis*, cf. Properti II 20, 19 *quod si nec nomen nec me tua forma teneret*, Stati Achill. I 632 *tu nunc tela manu, nostros tu dirigis arcus*, silv. IV 8, 41 *tua culpa tuusque hic pudor*. nihil huius generis Terentius habet, multo frequentior sequentibus poetis adiectivorum quam pronominum talis positio. sic Lucretius VI 301 (v. adn.) et Horatius multa; sic Vergilius catal. 5, 5 *valent mihi ira et anticus furor*, Ovidius am. I 9, 27 *custodum transire manus vigilumque catervas militis et miseri semper amantis opus*. huc trahi potest quod Cicero in carmine posuit *Torquato et consule Cotta*; sed idem in oratione quoque, si recte traditum est de imp. Cn. Pomp. 28 *Hispaniense (bellum) mixtum ex civitatibus atque ex bellicosissimis nationibus*; sed non sine causa dubitatur²⁾. huc pertinet Horati epod. 17, 17 *tum mens et sonus relapsus*

exempla tractavi Sen. frag. II p. 376 et de Stati silvis p. 18. sic etiam Cicero ad Att. II 18, 4 (v. p. 25) et Sallustius Cat. 35, 6 *nunc Orestillam commendo tuaeque fidei trado (tibi commendo Vaticanus) Tacitusque (annal. XII 22 magos interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum)*. sic Lucretius IV 1010 (*pugnans edere sunt persectantes visaeque volantes* (cf. Calpurn. buc. 4, 90 *Augustos visurae saepe triumphos*), VI 301 *in spatio longoque meatu*, Vergilius Aen. I 115 *excutitur pronusque magister volvitur in caput*, XI 790 *non ezuvias pulsaeve tropaeum virginis aut spolia ulla peto*, cf. VIII 377. X 711. 795 et georg. II 473 *sacra deum sanctique patres*, ubi perbene Servius *sacra deum sancta apud illos sunt, sancti etiam parentes*; saepe Horatius in omni genere carminum, sed in lyricis saepius. hoc Tibullus voluit I 2, 93 *stare nec ante fores pudit caraeve puellae ancillam medio detinuisse foro*, cf. II 3, 12; 5, 86; Ovidius heroid. V 39 *anusque longaevosque senes*, cf. II 70, et aliorum audacissimus quisque: Manil. V, 479 *nunc voce poetas, nunc tacito gestu referetque affectibus ora*, 639 *hic stadium fraudare fide poteritque videri mentitus passus*, Culic. 328 *Rhesi victorque Dolonis*, Stat. silv. I 2, 127. 179; 5, 7. II 7, 86. V 3, 86. 96 (v. s.). 213 Theb. I 288 et passim. sed similia etiam populari magis epitymbiorum Musae conveniunt: carm. epigr. lat. 563, 1 *cui pater addiderat nomen que merebat*, 1057, 13 *quis non flere meos casus poteritque dolere*, 1061, 7 *quae speciem voltus habuitque Cupidinis artus* et audacius 1148, 4 *sic illi coniunx, sic toga pura data est nullaque propago*.

2) Traditum est in Taciti dialogo 41 (si) *deus aliquis vitas ac vestra tempora repente mutasset*, sed iure Halmius induxit *vestra*. ceterum eo modo adiectivum posuisse Tacitum opinor annal. II 4 *manente luxu et regio nomine*.

atque notus in voltus honor, nam si non mentem, sonum etiam feræ habuerant, huc epod. 16, 41 *nos manet Oceanus circum vagus arva beata: petamus arva divites et insulas*, nam nec *beata petamus arva divites et insulas* componi potest nec *arva* post *arva beata* ab adiectivo eiusdem notionis divelli.

Haec omnia ita comparata sunt ut ad unum verbum duo vel plura nomina accedant intercedente adiectivo. raro Plautus ad duorum verborum alterum adiectivum apposuit quod etiam ad prius attineat. immo rarissima sunt eius compositionis certa exempla. unum est Bacch. 984

tacitus conscripsit tabellas, consignatas mi has dedit, neque enim dubitare potest si quis totum versum enuntiavit, quin *has* non pro nomine positum sed ipsi nomini attributum sit; sed apparet cur poeta pronomen alteri demum verbo addiderit, scilicet ut in hoc verbo pronuntiando demum tabellas proferendas esse histrionem moneret. similiter Propertius locutus est IV 6, 39

vince mari, iam terra tuast. tibi militat arcus

et favet ex umeris hoc onus omne meis,

qui cur ad *pharetrae pondus* (v. 55) pronomen adiunxerit fortasse certius sentiet qui observaverit quam subtiliter poeta lectores suos Callimachi admonuerit, in Dian. 212

*αἰ πρόται θεὰ τόξα καὶ ἄμφ' ὅμοισι φαρέτρας
λοδόκους ἐφόρησαν.*

semel positum est adiectivum sermonis ingenio admodum convenienter Amph. 785

tú peperisti Amphitruonem, ego alium peperí Sosiam, sed hiatus facit ut virorum doctorum coniectura etiam in priore membro *alium* reponentium non improbanda videatur. alius locus huc pertinet Most. 20

nunc, dum tibi lubet licetque, pota, perde rem,

corrumpe erilem adolescentem optimum,

ubi non hiatus tantum, si qui sunt, negotium facessunt, sed sermo multo maius; neque enim aut *erilis* vocari potest erilis filius (ut putavit scriptor argumenti in Pseud. 1, 6 *opemque erili ita tulit*) aut dici solet *erilis adolescens*, cf. v. 82 *nam eccum erilem filium video, corruptum ex adolescente optumo*. atqui *filium* versui inserere, ut voluit Pylades recto sensu ductus, non licet, *erilem gnatum* et similia componere multo minus. quod si quaerimus qui factum sit ut *erilem adolescentem* Plautus composuerit et duplici vocabulo quasi uni *optimum* addiderit, animum advertit *perde rem*; quae res non est Tranionis sed eri. atque statim Grumio quod v. 20 dixerat quasi repetit v. 27 *hocine boni esse officium servi existimas, ut*

eri sui corrumpat et rem et filium? ergo eo consilio Plautum illum sermonem ut fecit instituisse colligo, ut *erilem* et ad *rem* et ad *adulescentem* pertinere sentiretur eoque consilio ductum, propter figuram scilicet, solitam locutionis aequabilitatem dereliquisse.

Dubitanter et timide his subicio L. Corneli Scipionis elogium, in quo legimus

Taurasia Cisauna Samnio cepit,

subigit omne Loucanam opsidesque abducit.

nempe *Taurasiam Cisaunam Samnio* ne intellegamus, non forma tantum ablativi impedit, sed sermonem vetare puto ne *Taurasiam* ex Samnio dicamus vel Romam ex Latio; *Taurasiam Cisaunam Samnium* non tam forma impedit (*Luciom* et *oinom* in filii titulo) quam 'ipsa structura qua duobus neque ita claris Samnii oppidis male Samnium quasi tertium videatur adiungi' (Buechelerus carm. lat. epigr. p. 6). sed non male coniungitur *Taurasiam Cisaunam omne Samnium*; sic *Plautas tus, murrinus, omnis odor* (Poen. 1178), *blandimentis, oramentis, ceteris meretriciis* (Truc. 318), et similiter alii multa. sic igitur censeo, *omnem* non tantum ad *Loucanam* sed etiam ad *Samnium* pertinere.

Ceterorum poetarum pauca ascribam, ut Horati art. poet. 198 *ille dapes laudat mensae brevis, ille salubrem iustitiam legesque et apertis otia portis*, ubi adiectivum non ad sequentia tantum, sed ad *dapes* quoque audiri Kiesslingius adnotavit, vel audacter dictum et Tacito convenienter epod. 15, 7 *dum pecori lupus et nautis infestus Orion turbaret hibernum mare*; Vergili Aen. VIII 168 *frenaque bina* (dedit), *meus quae nunc habet aurea Pallas*, Germanici Arat. 13 *navita quid caveat, quid scitus vitet arator*, Ovidi am. II 3, 13 *est etiam facies, sunt apti lusibus anni*, III 6, 92 *nec tibi sunt fontes nec tibi certa domus*.

Rationem grammaticam eandem habet genetivus a duobus nominibus pendens sed alteri accedens, ut Aratus verba posuit in initio carminis, *μεσται δὲ Αἰδὸς πᾶσαι μὲν ἀγροιαί, πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί*, ut Cicero de lege agr. II 95 *ex hac copia atque omnium rerum affluentia primum illa Campana nata est arrogantia*, Tusc. I 52 *nam corpus quidem quasi vas est aut aliquod animi receptaculum*. sic Plautus Men. 576

res magis quaeritur quam clientum fides cuius modi clueat.
Pers. 61

unde ego hunc quaestum obtineo et maiorum locum,
postquam v. 53 dixit *veterem atque antiquom quaestum maiorum meum servo*. Trin. 671

quom inopiast cupias, quando eius copias, tum non velis,

ubi non ipsum *eius* ad prius membrum retrahitur, sed infinita notio (rei), supplementum autem notionis *inopia* non minus flagitat quam *copia*¹⁾. Merc. 547

decurso spatio breve quod vitae relicuomst.

hic in sententiam relativam recessit genetivus qui etiam ad *spatium* pertinet, ut docere potest Stich. 81 *quid mi opust decurso aetatis spatio cum meis gerere bellum?* et, ubi ex antecedentibus spatii notio suppletur, Ter. Ad. 859 *nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc, prope iam excurso spatio omitto.* atque consuetam dictionem in Mercatoris versum per vim inlatam deprehendimus in *A: breve iam reliquom vitae spatiumst, quin ego | voluptate vino et amore delectavero.* alium Mercatoris versum illi adiungo, quoniam ad demonstrandum appositus est quo pacto ἀπὸ κοινού figura ab hyperbato differat. nam v. 421 *multo edepol, si quid faciundumst, facere damni mavolo* discerptum quidem est *quid damni*, ita ut altera dictionis pars in sententia principali, altera in secundaria posita sit; sed *damni* in apodosi proprium negotium nullum habet, sententia est: si quid damni faciundumst, facere mavolo.

Fere ut Pers. 253 (*opes spes bonas copias*) verba composita sunt Asin. 133

perlecebrae perimities adulescentum exitium,

nam si quis dubitat, an genetivus etiam ad praecedens proxime saltem nomen pertineat, persuadebit Pseud. 364 *perimities adulescentum* et Ter. Ad. 188 *leno sum, pernicies communis, fatcor, adulescentium*, etiam Most. 5 *erilis perimities.* neque equidem dubito quin Truc. 552

foras egerones bonorum exagogae

pari modo *egerones* et *exagogae* dicantur *bonorum*.

Etiam Lucretius genetivum communem posuit, IV 774 *tantast mobilitas et rerum copia tanta*, I 360 *nam si tantundemst in lanac*

1) Erravit Bachius cum in Studemundi stud. II p. 356 Trinummi locum ita explicaret ut ad *eius* ex sententiarum conexus *quod cupis* supplendum esse diceret et XII tabularum verba *si nox furtum faxit, si im occisit, iure caesus esto* cum illis compararet. hic *faxit* eo usu positum est qui in XII tabulis regnat, item in lege Gortynensi: *αὶ δὲ κ' ἔγγει* (scil. qui rem sibi vindicat) *καταδικασάτο* (scil. iudex), quique notissimus est Catoni et Varroni (cf. Keilius comm. in Catonis de agri cult. p. 35, in Varronis p. 20). conferri potest ex Plautinis Curc. 468 *ne nimio opere sumat operam si quem conventum velit* vel Bacch. 438 *nam olim populi prius honorem capiebat suffragio, quam magistro desinebat esse dicto oboediens; at nunc, prius quam septuennis est, si attingas eum manu, extemplo puer paedagogo tabula dirumpit caput*: ubi item habes *eum*, puer tandem paedagogo opponitur, sed *capiebat et desinebat* subiecto indicato non eget, quamquam inde a v. 431 Lydus secunda non tertia persona usus est.

glomere quantum corporis in plumbost, saepius Vergilius in Aeneide. ascribo unum Grattii locum, qui vulgo figura sua privatur, cyneg. 23

carmine et arma dabo et venandi persequar artes;
armorum, cassisque plagaeque, exordiar astus.

prior versus traditus est ut scripsi (vulgo *venanti et*), in altero *casses plagique* librorum scripturam emendavit Heinsius.

Item adiectivi similem habere rationem grammaticam potest sententia relativa, nec desunt structurae quam tractamus exempla. Cas. 975

quid fecisti scipione aut quod habuisti pallium?

nulla causa est quin de scipione et de pallio unum idemque praedictetur; ultro igitur *quod habuisti* etiam ad scipionem refertur. illud fieri non potest ut *scipionem* (sic *AP*) retineatur et nomen ad sequentem quasi attrahatur enuntiationem relativam; *pallium* accusativus quibus exemplis confirmetur exposuit Bachius de attractione inversa p. 16. — Mil. 586 sq. haec leguntur, in *A* saltem et leniter inmutata in *P*, non in editionibus praeter Ribbeckianam:

illic hinc abscessit. sat edepol certo scio,
occisam saepe sapere plus multo suem:
quoin id adimatur ne id quod vidit viderit.

quin id, i. e. *cuin id* (ut vidit Ribbeckius) *A*; *quod in P*, sed erasis duabus ultimis litteris in *B* (*quod ei B²*), quae scriptura nata esse videtur ex *quoin* superscripto *id*. atque de lacuna quidem, quam inter v. 587 et 588 intercedere volunt, ne verbo quidem opus est, nam nihil deest; in particula *ne* et coniunctivo quam difficultatem invenerint non assequor, exempla locutionis vel Holtzium suppeditabit II p. 262. sed quid multa, cum Ribbeckius totum locum recte et eleganter in nostrum sermonem transtulerit (Alazon p. 131); *quoin id adimatur* qua vi positum sit senties ubi *quod vidit* huc pertinere intellexeris: 'quoin id quod vidit adimatur ne id (quod vidit) viderit'. — Pseud. 792 sq.

nam ego si iuratus peiorem hominem quaererem
coquom, non potui quam hunc quem duco ducere,
multiloquom gloriosum insulsum inutilem.

haec aliqua interpretatione egere sensit Ritschellius scripsitque (nec aliter Lorenzium):

nam ego si iuratus pessimum hominem quaererem,
peiorem hau potui quam hunc quem duco ducere,

Goetio 'aliquid intercidisse videtur', deinde cum Schoellio una traditam lectionem 'toleravit', Vssingius eam circumlocutus, non interpretatus est. atque proprietates structurae in eo est quod *pei-*

rem postquam dictum audivimus, necessario verba expectamus quae comparationem conficiant; incohata apodosi sequitur *quam hunc quem duco*, quod et ipsum nisi cum *peiore* coniungatur sensum non reddit. iam sentimus ordinem hunc esse sententiae: 'nam ego si iuratus peiorem (quam hunc quem duco) hominem quaererem coquam, non potui (peiorem) quam hunc quem duco ducere'. elementa igitur comparationis inter sententias distributa sunt. accedit autem duplex compositionis artificium, primum quod *hominem coquam* (cf. 956) vocabula diiuncta sunt et, cum sint natura coniunctissima, alterum non post verbum sed etiam in alterius versus initio positum est: quod fit quoniam hoc verbi obiectum ab eis, quae nondum dicta et statim insecutura sunt et necessaria ad eius intellectum, admodum vehementer attrahitur; alterum artificium, quod verbi eiusdem *duco ducere* formae iuxta ponuntur; atque in hac positura (de quo genere dixi in relat. soc. Gotting. 1895 p. 432 sq.) fortasse totius structurae tam curiose quaesitae causa posita est. alia, quae huic loco similia videri possunt, tantum hyperbaton habent, velut Amph. 712 *itidem ut pudicae suos viros quae sunt solent* et quae eius generis praeterea composuit Vahlenus Hermae XVII p. 614 sq.; alia praemissam habent sententiam relativam, quae antequam nomen ad quod pertinet enuntiatum sit non satis intellegatur, velut Cas. 686 *nam quae facta dixi omnia huic falsa dixi*, Capt. 291 *ad rem divinam quibus opus est Samiis vasis utitur*, Curc. 550 *tuom qui signum ad me attulisset, nuntium ne spernerem*, Truc. 150 *qui arari solent, ad pueros ire meliust*, Pseud. 108 *utinam quae dicis dictis facta suppetant*, Trin. 54 *omnibus amicis quod mihi est cupio esse idem*, adde Cist. 654 *quae dudum fassast mihi quacne infitias eat* (inversis sententiis relativis), Pseud. 279, ad Capt. 157 quae adnotavi et multa quae interpretem desiderant, sed hinc, ne proposita quaestio obscuretur, arcenda sunt. hoc addo, Lucilium inter secundum tertiumque praedicatum ἀπὸ κοινῶν posuisse *quid sit* frg. 1020^a 4

virtus scire homini rectum utile quid sit honestum, et Catonem condicionale membrum eodem modo quo Plautus Cas. 975 fecit inter particulam disiunctivam et nomen alterum posuisse de agri cult. 157, 8 <ins>*omnis vel siquis est seniosus*, ubi *insomnis* restituit Keilius, sed non recte verba transposuit *insomnis vel seniosus si quis est* vel (in editione minore, comm. p. 179) *insomnis siquis est vel seniosus*. denique quid impedit vetustioribus apponere rhetorici poetae artificium, Manili quem dicunt II 583

unus erat Pylades, unus qui mallet Orestes
ipse mori: lis una fuit post saecula mortis.

His adiungimus nomen substantivum ad duo attributa quod pertineat ac secundo demum adiectum sit; quemadmodum Fronto scribit p. 107 ep. V *practerea siquid eleganti aut verbo notabili dictum videretur excerpsi* (ubi Orellius 'fortasse verbo aut') et inter duo sententiae membra dividens Cicero pro Mil. 69 (*cum*) *et amicissimi benivolentiam et gravissimi hominis fidem et unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres*, Philipp. II 44 *sumpsisti virilem quam statim muliebrem togam reddidisti*, XIV 3 *tollite hanc: nullam tam pravae sententiae causam reperietis*. Plautus eodem modo Men. 578

si est pauper atque haud malus, nequam habetur,
sin dives malust, is cliens frugi habetur,

nam *cliens* non minus intellegitur *nequam* quam *frugi* nec potest in hac membrorum sententiae aequabilitate ab altero utro nomen substantivum divelli. aliquo modo huc pertinet Captivorum versus 291, quem p. 14 exscripsi, siquidem ad pronomen in sententia relativa praecedens substantivum in apodosi item pertinet atque ad adiectivum iuxta positum. alium locum exscribi oportet ut quo pacto sententiae conexae sint appareat. Phronesium militem expectans ambigue de materno suo labore locuta sic pergit Truc. 455

quantást cura in animo, quantum corde capio
dolorem, dolus ne occidat morte pueri:
mater dicta quod sum, eo magis studeo vitae;
quae huc ausa sum tantundem dolum adgrediar. 458
lucri causa avara probrum sum exsecuta,
alienos dolores mihi suppositi.
nullam rem oportet dolose adgrediri,
nisi astute accurateque exsequare.

haec ut scripsi in codicibus leguntur (tantum v. 462 *exsequere*), corruptum esse v. 458 constat, hiatus non ferendos habent v. 461. 462. atque in secundo quidem versu *παρὰ προσδοκίαν* infertur *dolus*, scilicet puer ne moriatur cavet quidem, sed quia dolo simul moriendum sit. iam quo acumine dicat versu sequenti *studeo vitae*, apparere puto. certe quod mater dicta est pueri vitae studet (non suae, ut Spengelius), sed si aperte loqui volebat, personam significari oportuit (quare Vssingius, acutiore ut solet sermonis quam facetiarum sensu, *quoi sum* scribendum censuit); verum nolebat aperte loqui, sed ambigue ut occeperat. ergo *studeo vitae* se applicat ad illud *dolus ne occidat* ac dicit se pro materno scilicet officio studere ut dolus vivat. sic ad sequentia transitur, quae ubi sana esse incipiunt dicit se probrum, i. e. pueri suppositionem, exsecutam esse; pergit v. 463 *vosmet iam videtis ut ornata incedo: puer-*

perio ego nunc meum esse aegram adsimulo. male quod mulier facere incepit, nisi id efficere perpetrat, id illi morbo, id illi senio e. q. s., hic igitur aperte dicit se suppositione pueri perpetrata iam ad aliam malitiam se accingere qua telam priore dolo incohatam per-textura sit, id est ad defraudationem militis sequentes scaenas occupaturam. hic sententiarum conexus docet versus 461 (*rem dolose adgredi*) et 462 (*nisi accurate exsequere*) non ad pueri suppositionem utrumque spectare, sed priorem tantum, ad instantem rei consummationem alterum¹⁾. sed ut nunc leguntur haec recte intellegi nequeant, cum neque *exsequere* v. 462 ab illo *probrum sum exsecuta* satis discernatur neque ipsa sententia quomodo antecedentem continuet indicetur. utrumque assequemur priore versu ut Geppertus voluit suppleto, altero emendato:

<sed> nullam rem oportet dolose adgredi,
nisi astu totam accurateque exsequere.

iam unus restat v. 458, propter quem verba fecimus. neque vero obscurum iam esse posse opinor quid verba sibi velint inde a Camerario (*tantum clam dolum adgredi*) ab omnibus editoribus temptata, nisi quod Pareus et Gruterus *tantundem dolum* servare studebant quid vellet parum intellegentes. hoc autem dicit: *quae hunc* (sic Itali) *ausa sum, tantundem dolum adgrediar*, i. e. quae puerum mihi supponere ausa sum, de quo dolo adhuc verba fecit, tantundem dolum adgrediar, eum scilicet de quo inde a v. 463 exponit. quam expositionem v. 458 praeparat, v. 459—462 verbose ut in cantico exordiantur. verba ut emendemus duo observanda sunt, primum metrum in traditis impediri cum verba sana sint, praeterea verbo quod est *adgrediar* non satis *tantundem dolum* ei quem iam ausa sit opponi; scribendum est

quae ausa hunc sum, tantundem dolum <nunc> adgrediar. expolivimus tradita verba, non mutavimus, ac figuram de qua agimus ipsam traditam esse iure dicimus; consimile illud quod attuli Ciceronis: *tollite hanc, nullam causam reperietis*, vel Properti (II 24, 35) *tu mea compones et dices 'ossa, Properti, haec tua sunt'*, Ovidi (am. III 6, 73) *o utinam mea lecta forent — cum poterant virginis ossa legi*.

Alium Truculenti versum magis dubitavi an huc referre liceret, sed quo saepius delibero, sermonis naturam non vetare certius sentio. sic militem adfatur Phronesium v. 518:

salve, qui me interfecisti paene vita ac lumine
quique mihi magni doloris per voluptatem tuam
condidisti in corpus quo nunc etiam morbo misera sum.

1) Ideo v. 472 *quae me gravidam esse adsimulavi militi Babylonio, eam nunc malitiam accuratam miles inveniat volo*.

(*quiquem ibi* codices v. 519). desideratur nomen unde pendeat *magni doloris*. quod si poeta sic locutus esset: *quique mihi magni doloris per voluptatem tuam condidisti in corpus morbum, quo nunc etiam misera sum*, nemo dubitaret de structura. sed leniter inflexo sermone aliter verba composuit, ita scilicet ut verbi obiectum in sententiam relativam eumque casum quo ibi opus esset reiceret, quo modo dixit Cas. 975 *quid fecisti scipione aut quod habuisti pallium*, Curc. 433 *ut ei detur quam istic emi virginem*, alia quae Bachius contulit de attr. inv. p. 16¹⁾. quid ergo est? negabimusne genitivi supplementum ut verbi ex sententia relativa accessi posse? hoc eo minus opinor faciemus quo magis necessarium genetivo nomen est unde pendeat. quale adicere (*quique vim* Camerarius, *doloris <vim>* Acidalius) facile quidem erat, sed iam alii mecum verebuntur ne adiectum poetae sermonique eius vim faciat. illud fateor, simplicitate et elegantia sermonis adicere positum in initio sententiae *vimque* pro *quique*, sed tam facile simplex sollemne genus quam est in copulandis sententiis *qui* — *quique* obscurari aegre fero.

Tertium huius generis locum emendatione recipiavi et quomodo intellegendus sit indicavi Cist. 48. ubi quod lena cum filia meretrice loquens haec habet in libris corrupta verba:

nam si quidem ita eris ut volo, numquam et haec ate fies
semperque istam quam nunc habes aetatulam obtinebis,
quam inepte veteres critici *Hecate* vel adeo *Hecale fies* scribendum coniecerint dici vix potest, quamvis multos utraque coniectura defensores invenerit. 'numquam vetula fies', haec sententia fuit et hoc modo enuntiata; reposui, quo litterae ducunt et versus necessitas, *numquam senecta fies*. atqui *senecta* adiectivum quidem Plauto est (praeter Mil. 623), sed tantum ut componat *senecta aetate* (Trin. 43 *hic illest, senecta aetate qui fartust puer*, Amph. 1032 Aul. 253 Cas. 240. 259 Merc. 985), ergo ne hic quidem *senecta* esse potest id quod *vetula*. iam quod sequitur *aetatulam* in enuntiato adiecto, perfecta periodo adiecta est adiectivo substantivi notio atque auditur *senecta aetate*; quae quanto suavior compositio est quam si dixisset velut *numquam hac aetate fies*. contrarium genus, sed quo illud quoque comprobetur, eo loco conspicitur qui unus adiectivum *senecta* cum *aetate* non arte conexum habet, Most. 216 *si illum inservibis solum dum tibi nunc haec aetatulast, in senecta male quereris*; hic quoque *aetate* ex *aetatula* auditur, nam deminuta

1) Ergo hoc quoque genus Plautum non minus decet quam Ovidium aut Horatium, cf. heroid. 6, 105 *non probat Alcimede —, non pater, a gelido cui venit aze nurus*, epod. 2, 37 *malarum quas amor curas habet*.

species ad apodosi indolem non magis quadrat quam illic ad priorem periodi partem¹⁾.

Addo his cantici verba Amph. 652

virtús omnia in sese habet, omnia adsunt

bona quem penest virtus,

nam *omnia* prius, cum sequatur praesertim *bona*, non potest intellegi nisi *omnia (bona)*, ac vetant quae praecedunt quoque ne aliter intellegatur. interdum hic quoque fit ut vocabulum commune duobus nominibus interponatur, ut factum est Pseud. 197

lánios, qui item ut nos iurando iure malo male quaerunt rem, ubi figuram signavit poeta posito *iurando iure pro iure iurando*, et Curc. 10

egon apicularum congestum opera non feram,

ex dulci oriundum melculo dulci meo?

ubi sane *melculo dulci* coniungendum est, sed non potest non coniungi *ex dulci melle*; certe non recte scribendum coniecit Loewius *ex melle oriundum*, sed audaciam aliquam habet locutio, quae *melculo* ablativo ac dativo casu quasi mixtum faciat; ne hoc quidem sine exemplo, siquidem Plautus dixit Aul. 449 *hoc quidem hercle quoquo ibo necum erit, necum feram* vel Men. 306 *Epidamnum numquam vidi neque veni*.

Ex posteriorum temporum poetis²⁾ adferendus est Lucreti versus II 860 *molli lenta, fragosa putri, cava corpore raro*, Catulli 64, 336 *qualis adest Thetidi, qualis concordia Pelco* et illud a Buechelero restitutum *qua domus tua Lampsacis quaque <lege> Priapi*, Mati apud Varronem de l. l. VII 96 *obsceni interpretis funestique ominis auctor* (cf. Varro 97 'quod dixit obscenum omen'), Vergili georg. II 98 *Tmolius adsurgit quibus et rex ipse Phanaeus* (cf. Servius), Ovidi heroid. VII 129 *cuius manus impia possit respergi nostro sparsu cruore vivi* et paulo audaciora Ovidi am. II 8, 11 propter longum nominum intervallum

Thessalus ancillae facie Briseidos arsit,

serva Mycenaco Phoebas amata duci;

imitatoris heroid. XX 47

ut partem effugias, non omnia retia falles,

1) Sententiae illustrandae adnotavi Herodae primi mimi extrema verba (*ἐμοὶ δὲ Μυραία τε καὶ Σίμη νίαι μένοιεν, ἔστ' ἂν ἐπνέη Γυλλίης*) et Naevii e Corollaria versus (36 R.) *nolo ego | hanc adeo efflictim amare: diu rival volo, | ut mihi prodesse possit*, qui illos Herodae invicem illustrant; sed scribendum arbitror *amari*.

2) Eleganter Ribbeckius Pomponi v. 39 *non multi sed temeti plurimi (temeti sed Festus)*.

ubi genetivus nominis communis ad *partem* subauditur; Tibulli II 1, 27, qui adiectivo plurali nomen singulare reddit,
 nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
 consulis et Chio solvite vincla cadō;

Lygdami, qui audacissime in adiectivi casu substantivique lusit, verbo quoque ἀπὸ κοινοῦ. posito, 2, 1
 qui primus *caram* iuveni carumque puellae
 eripuit invenem, ferreus ille fuit.

subiciam aliquot poetarum versus qui non adiectiva habent nomini communi attributa sed substantivorum genetivos in utroque alterove membro, velut Horatius medium nomen tribus genetivis II 13, 27 *dura navis, dura fugae mala, dura belli*, Propertius II 26, 23 *si Cambletae redeant et flumina Crocsi*, Manilius IV 224 *nunc hominum, nunc bella gerunt violenta ferarum*, carm. lat. epigr. 986, 8 *linquentem vitae et commoda militiae*. proprie Columella X 155

mox ubi nubigenae Phruxi nec portitor Helles,
 signorum et pecorum princeps, caput efferet undis,
 qui tam acriter *Phruxi portitorem* sensit, ut τὸν μὴ πορθμύσαντα in altera parte communem poneret¹⁾. huc pertinere Prop. III 21, 25 Lachmannus sensit:

illie vel studiis animum emendare Platonis

incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis,

nam nihil impedit quod hortus proprie Epicuri est; sic nihil est in hoc disticho in quo iure offendas praeter *vel* illud, quod cum Hertzbergio intensivum facere ne collatis quidem versibus II 3, 5 sq. audeo. cum his figurae exemplis apte comparabimus Goethii versus (auf Miedings tod v. 213, XVI p. 140 ed. Wim.)

Und sanfter als des Lebens liege dann

auf dir des Grabes Bürde, guter Mann,

itemque hos carminis olim in Fausti epilogum destinati extremos (XV 1 p. 345)

Und wie des wilden Jägers braust von oben

des Zeitengeists gewaltig freches Toben.

atque ut intellegas quam certo consilio figura usus sit, animadvertas oportet utrobique figuram in fine carminis positam esse.

Huic toti generi adfinis evadit compositio ubi non ad duorum attributorum alterum nomen commune accedit, sed nomen cum attributo uno aut apposito cohaerens in aliam sententiae partem reicitur. quod factum est in membris copulatis Cas. 314 sq.

1) Cf. Gronovius observ.² p. 617.

qui si tu nolis filiusque etiam tuos,
vobis invitis atque amborum ingratiis
una libella liber possum fieri,
ubi *vobis* et *amborum* verbo quidem separari, re non possunt. Merc. 245
atque oppido hercle bene velle *illi* visus sum,
ast non habere cui commendarem capram.
in sententiam relativam vel alio modo subiunctam commune nomen
transiit Capt. 179

nisi qui *meliozem* adferet
quae mi atque amicis placeat condicio magis,
Poen. 449

di *illum* infelicent omnes, qui post hunc diem
leno ullam Veneri umquam immolarit hostiam,
Most. 811

non tu vides *hunc*, voltu uti tristist senex?
Rud. 77

ad villam *illius*, exul ubi habitat senex.
in qua figura posita est orationis ambiguitas qua utitur Tyndarus
Capt. 346

nec *quemquam* fidiorem neque cui plus credat potes
mittere ad eum nec qui magis sit servos ex sententia,
nam priora quoque in servis laudari solent, filio propria sunt.
eodem modo Naevius locutus est com. v. 19 R.

ut *illum* di perdant qui primum holitor protulit
cepam.

de his autem et talibus conferendae sunt disputationes Vahleni
Hermae XVII p. 598 et ind. lect. 1892/93 p. 9 qui praecipue ex
Catullo Lucretio Horatio Livio idonea multa attulit, item quae de
attractione agens Bachius congressit p. 16.

Huius usus certa species est quam non apud Plautum quan-
tum video invenimus¹⁾, sed primum in Enni annalium v. 199 M.

vosne velit an me regnare era quidve ferat Fors,
scilicet ut appositio (*era*) praemittatur nomini cui apposita est,
nomen in adiuncta sententiae parte sequatur, quo fit ut quod iam
audiisse sibi videatur nomen auditor, eius minorem tantum et ac-
cedentem partem se audiisse postea sentiat. usitata est Callimacho
figura, in Del. 304

ὄ μὲν ἐπαίδουσι νόμον Λυκίοιο γέροντος,
ὄν τοι ἀπὸ Ξάνθοιο θεοπρόπος ἤγαγεν Ὠλήην,

1) Prope accedit Rud. 40 *eam de praedone vir mercatur pessumus, is eam huc Cyrenas leno advexit virginem, ubi leno vir pessumus ultro coalescit.*

frg. 164

ἀλλὰ θεῆς, ἥτις με διάκτορον ἔλλαχε Παλλάς,
de quibus Meinekius p. 145; deinde poetis Romanis, quorum aliquot locos enotasse non inutile erit. Vergilius Aen. VI 473
coniunx ubi pristinus illi
respondet curis aequatque Sychaeus amorem,

VIII 461

nec non et gemini custodes limine ab alto
praecedunt gressumque canes comitantur erilem.¹⁾

Statius silv. III 4, 48

(penates) quos mole nova pater inclitus urbis
excolit et summis aequat Germanicus astris,

IV 1, 11

ipse etiam immensi reparator maximus aevi
attollit vultus et utroque a limine grates
Ianus agit.

sic Tibullus I 1, 17

pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
terreat ut saeva falce Priapus aves,

sed non satis est ut *Priapus* ad appositionem suam retro referatur, hoc quoque sentiri debet, adiectivum quod est *ruber* non tam ad appositionem quam ad nomen dei pertinere; quod ubi abest aut consulto tacetur, sane *ruber hortorum custos, membrorior aequo, qui tectum nullis vestibis inguen habet* audit deus (priap. 1, 5, cf. Ovid. fast. VI, 333) at ubi nomine appellatur *ruber, hortorum decus et tutela, Priapus* (Ovid. fast. I 415), et compellatur *rubicunde Priape* (fast. VI 319). hoc igitur Tibullus voluit: *aber der rothe Priap, als Wächter mit drohender Sichel steh' er im Garten und so scheuch' er die Vögel vom Obst.* alium Tibulli locum eiusdem generis esse olim significavi (Philol. unters. II p. 35), sed editoribus non persuasi, I 2, 7

ianua difficilis, domini te verberet imber,
te Iovis imperio fulmina missa petant.

non repetam quod illic dixi, *difficilis domini* tam inepte coniungi quam *difficilis dominae*; coniungitur *ianua difficilis* ut solet in carminibus ad ianuam cantatis, ut Ovid. am. I 6 in initio *difficilem moto cardine pande forem* et in fine *duraque conservae ligna valcte fores* (cf. Tib. I 1, 56) vel Plaut. Curc. 153 *hoc vide ut dormiunt pessuli pessumi nec mea gratia commovent se ocuis*, ut Horatius amat-

1) Similiter Callimachus in Del. 228 sq. κῶων et θηρήτεια divisit, sed praemisso principali nomine.

que ianua limen, quae prius multum facilis movebat cardines. sed audire vel legere me memini nescio quem interrogantem num Iuppiter uspiam dominus vocetur; cui respondebunt verba Euripidis θεοὺς γὰρ δεσπότης καλεῖν χρεῶν vel Aristophanis ὑψιμέδοντα μὲν θεῶν Ζῆνα τύραννον εἰς χορὸν πρῶτα μέγαν κικλήσκω. potius Stati silvarum locum Tibulliano apponam consimilem, rem scilicet potiore verbo. ille carmen de Domitiani consulatu his versibus claudit IV 1, 44

 sic Janus, clausoque libens se poste recepit;
 tunc omnes patuere dei laetoque dederunt
 signa polo longamque tibi, rex magne, iuventam
 adnuit atque suos promisit Iuppiter annos.

atque primum quidem audacter dixit *patuere dei*, quod non potuisset nisi proximis verbis Ianum dixisset *clauso se poste recepisse*, qua verborum oppositione secundi verbi quasi proprius aliquis significatus oritur, silicet 'apparere, in conspectu fuere'; id ipsum autem poetam voluisse ostendunt quae secuntur *laetoque dederunt signa polo*. sed dicturus eram de appellatione quam deinde legimus *rex magne*, immo nihil dicturus nisi sic appellari principem a poeta non potuisse, ut pridem demonstravit Marklandus. certe simile exemplum regiae appellationis praeter Graecos nullum inveniri illi assentitur Mommsenus iur. publ. II p. 764¹⁾, nec doceri necesse est quantopere differat quod Domitianum alibi *regnatorem terrarum, orbis parentem*, quod Martialis *terrarum dominum deumque rerum* appellat. Marklandus igitur scribendum coniecit *dux magne*; ego haec carmina hactenus emendanda esse censeo, ut artificia sermonis antea experiamur. nimirum hanc fuisse poetae mentem con- tendo, ut post *omnes deos* memoraret *regem Iovem*, hoc modo:

 longamque tibi *rex*, magne, iuventam
 adnuit atque suos promisit Iuppiter annos.

illud vero non est obliviscendum, recitationi magis quam lectioni haec carmina composita esse, in recitatione autem quod dictioni inest ambigui evanescere debere; sane ne hoc quidem a poetae animo alienum fuisse videtur, ut vetitae adulationis ambiguitatem audaciae dictionis immisceret.

Sed ad Plautum redeo. atque quoniam nomen ad alterum attributorum duorum accedens tractavimus, iam de nomine agam

1) Augustus quod Maecenati scribit *veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc regiam*, de qua scriptura dubitationem movit Hirschfeldius (unters. z. roem. verwaltungsgesch. p. 202), fateor me acumen dictionis non plane intellegere, sed in eo versari video ut parasito opponatur rex parasiticus.

verbis duobus quod commune sit et prioris quidem subiectum sive obiectum sive liberiore modo ab eo pendens, sed secundo demum adnexum. cuius generis pervagata est et Plauto ut pedestri sermoni usitata species qua pronomen infinitum quasi attrahitur coniunctione condicionali vel pronomine relativo, cum principalis sententiae verbi idem subiectum sit, hac forma: *errat vehementer si quis arbitratur*¹⁾; sic poetae raro, ut Vergilius *georg.* III 474 *tum sciat aeras Alpīs et Norica si quis castella — videat* et sermoni propior Horatius *ep.* II 1, 262 *meminitque libentius illud quod quis deridet* vel, qui ipsa figura ἀπὸ κεινοῦ nusquam utitur, Phaedrus III 17, 8 *at mehercules narrabit quod quis voluerit*. sic igitur Plautus *Asin.* 154

non potest auferre hinc a me si quis emptor venerit
et similiter Rud. 476

nempe optumo me iure in vinclis enicet
magistratus si quis me hoc habere viderit,
sic Aul. 207

salvomst si quid non perit,
Capt. 791

ne mi obstiterit obviam
nisi quis satis diu vixisse sese homo arbitrabitur,
ubi *quis* post *ne* traditum, licet metrum ferat, iure Guietus induxit. item Pers. 373

dicat quod quisque volt,
cf. Cic. Lael. 29 *per quem adsequatur quod quisque desideret*, Tusc. IV 7 *defendat quod quisque sentit*, Phil. VIII 26 *quid laborat ut habeat quod quisque mercatus est, si quod accepit habet qui vendidit?* in his omnibus subiectum commune est, obiectum rarius, apud Plautum Most. 614

quin feram si quid datur
et Truc. 469

nimisque paucae efficiunt si quid facere oceperunt bene, et apud Ciceronem nisi alia me fugerunt in epistulis tantum: ad Att. II 24, 1 *ad illam celeritatem adde etiam si quid potes*. Senecae cf. *epist.* 114, 15 *disturbant de industria si quid placidius effluxit*.

Alia in pedestri sermone rarissima sunt, velut Cicero pro Cael. 7 *neque enim decebat neque aetas illa postulabat neque pudor patiebatur optumi adulescentis in tali illum oratione versari* etiam ad *decebat* videtur aetatem rettulisse, Sallustius *Catil.* 36, 5 *ex tanta*

1) Cicero pro Cluent. 139, item pro Mil. 19 Phil. X 18 de fin. II 60 Tusc. IV 8 de or. I 80 de opt. gen. or. 7 parad. 8 de off. III 17, item alii ut Seneca pater contr. II 4, 5 *errat si quis putat*, filius saepe, cf. de benef. I 1, 7 *errat si quis sperat* et iterum § 8, Quintilianus IV 1, 67.

multitudine neque praemio inductus coniurationem patefecerat neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat, nisi apud scriptores poetici sermonis fines qui egrediuntur, cf. Senecae de benef. V 10, 4 *laudatur et inter maxima humani generis bona fides colitur* (Gertzius p. 264) vel M. Caesaris ad Frontonem p. 49 N. *itaque habere et tibi gratias agerem*. sed Plauto usitatum genus ut poetis. primum de subiecto videamus. ut copulata membra praemittamus, plane cum Sallustiano quem exscripsi loco convenit Pers. 525

mancupio neque promittet neque quisquam dabit
(*promittis A*); Mil. 134

nam et venit et is in proxumo hic devortitur
(sic *DB*², *venictis in B*¹, *venit eius in C*); Capt. 47

ita compararunt et confinxerunt dolum
itaque hi commenti,

quae composuit Niemeyerus stud. Plaut. p. 5, cf. Amph. 70 *si per scriptas litteras seu qui ipse ambissit*, ubi praecedit *sive qui ambissint*, Bacch. 266 (nam sic verba recte intelleguntur)

adulterinum et non eum esse symbolum,

Merc. 306

si canum seu istuc rutilum sive atrumst, amo.

in enuntianti condicionalis postposita protasi, plane ut in illo *si quis*, Rud. 969

non ferat si dominus veniat?

et in apodosi Truc. 324

si proinde amentur, mulieres diu quam lavant,
omnes amantes balneatores sient

quod recte distinxisse video Bachium de attr. inv. p. 7. artificiosius collocata verba Epid. 263

si placebit, utitor,

consilium si non placebit, reperitote rectius,

nam *consilium* et primi verbi (ut tertii) subiectum et secundi (ut quarti) obiectum est, atque Asin. 242

si adfers, tum patent, si non est quod des, aedes non patent, ubi ut subiectum verbi secundi, sic et obiectum primi, quod est *quod des*, ἀπὸ κοινοῦ posita sunt. alii versus pronomen personale habent alteri verbo appositum, quod ubi fit, plerumque nescias utrum pronomen ἀπὸ κοινοῦ positum esse dicas an cum pondere aliquo verbi personam repeti. velut Cicero scribit ad Att. I 18, 2 *aculeos omnes et scrupulos occultabo neque ego huic epistulae — committam* vel Horatius sat I 6, 122 *post hanc vagor aut ego lecto aut scripto quod me tacitum iuvet* incertum an cum figura, sed cum figura certe Sallustius Cat. 31, 7 *ea familia ortum, ita se ab adulescentia*

vitam instituisse et Cicero ad Att. II 18, 4 *vellem ego ve cuperem adesses*, sed non passi sunt editores. sic Plautus in coniunctis vel inconexis membris Asin. 141 *prius quam istam adii atque amans ego animum meum isti dedi*, Mil. 642 *vel cavillator facetus — ero neque ego oblocutor sum alteri in convivio*, Trin. 636 *sat sapio, satis in rem quae sint meam ego conspicio mihi*, Bacch. 225 *non metuo nec <ego> quoiquam supplico (ego Bothius)*, ad quorum analogiam emendavi Mil. 221 *anteveni aliqua aut tu aliquosum circumduce exercitum*; atque membris subiunctis Poen. 362 *dum te exspecto, neque ego usquam aliam mihi paravi copiam neque istuc usquam apparet*, Curc. 175 *nequeo durare quin ego erum accusem meum*, Epid. 217 *quom ad portam venio, atque ego illam illi video praestolarier* (item Bacch. 279 Merc. 256), ut Cicero scribit Bruto I 10, 3 *quod simul atque sensi, neque ego illum absentem litteris monere destiti nec accusare praesentes eius necessarios*. Aul. 430, ubi traditum est *utrum crudum an coctum ego edim*, Pylades cum transposuerit *ego coctum*, Langenus ascripsit 'est collocatio verborum poetica ideoque a Plauto aliena'; unde videre licet quam parum nota res sit etiam eis qui Plautum diligenter legerunt. huic quidem versui adhibere satis erit Merc. 309 *seca digitum vel aurum vel tu nasum vel labrum*, Men. 960 *neque pugnans neque ego litis cocpio*, Bacch. 379 *neque mei neque te tui pudistumst (tui te Priscianus)*, Asin. 854 *neque divini neque mi humani posthac quicquam accreduas*.

Accidit etiam ut subiectum verbi ex adiuncta sententia repetendum sit, in qua non recto casu positum legatur. sic Mil. 803 non potuit reperire, si ipsi Soli quaerendas dares, lepidiores duas ad hanc rem,

Most. 55

o carnificium cribrum, quod credo fore,
ita te forabunt,

nam infinitivi *fore* subiectum non videtur plane excidere posse; item Asin. 506

ubi *piem Pietatem*, si istoc more moratam tibi postulem placere, mater, mihi quo pacto praecipis infinitivo *placere* sequens *mihi* suum subiectum reddit; nec aliter de his verbis sentio Mil. 981

iube sibi aurum et ornamenta, quae illi instruxti mulieri, dono habere,

cf. v. 1127 (v. i.). his subiecti exemplis adiungere licet vocativum secundo verbo appositum Capt. 636

quin quiescis? <i> diirectum, cor meum, ac suspende te,

fere ut apud Tibullum II 5, 121 *adnue, sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli*, cf. Stati silv. V 3, 255 sq.

Subiecti in sententiam condicionalem reiecti etiam Terentius exemplum habet, Andr. 237 *quid est si haec non contumeliast?* in copulatam sententiam reiecti Lucretius IV 905 *multaque — commovet atque levi sustollit machina nisu*, V 214 *cum iam per terras frondent atque omnia florent*, Vergilius saepius (georg. IV 215, Aen. IV 353 IX 630, cf. I 115; *seu — seu*¹⁾ georg. IV 33) et alii²⁾ magis quaesita, velut Ovidius heroid. VI 93 *male quaeritur herbis: moribus et forma conciliandus amor*, am. III 12, 13 *an prosint dubium: nocuerunt carmina semper*, qualia cum pervagata sint coacervare nihil attinet. potius ascribam, qui huc pertinent, versus Arati (21) ὄγ' οὐδ' ὀλίγον μετανίσσεται, ἀλλὰ μάλ' αὐτως ἕξ ὧν αἰὲν ἄφρηεν et Callimachi (in Apoll. 80) σεῖο δὲ βωμῶ ἄνθεα μὲν φορέουσιν ἐν εἴαρι τόσσα περ Ὀρραὶ ποικίλ' ἀγινεῦσι ξεφύρον πνεύοντος ἔερσην, atque Ovidiani artificii exemplum praestabo heroid. VI 135

prodidit illa patrem, rapui de clade Thoanta;
deseruit Colchos, me mea Lemnos habet.

hic nihil magis sermonis vigori necessarium, quam ut *illa* et *ego* non re sed verbo quoque inter se opponantur; priore autem loco quod *ego* deficit, altero deficit *illa*, comparet *me*. sic quid poeta voluerit sentitur: ut prius *illa* in pentametro, sic ex posteriore *me* in hexametro auditur *ego*.

Subiungam obiecti ἀπὸ κοινοῦ collocati exempla Plautina, quorum unum (Asin. 242) supra indicavi. Men. 509

neque hercle ego uxorem habeo neque ego Erotio
dedi nec pallam surrupui,

ib. 707

adibo atque hominem accipiam quibus dictis meret,
atque verbo eodem v. 1091

melius nos adire atque hunc percontarier;
nam cum et *adibo* et *eum adibo* apud Plautum frequenter legatur, tamen sine obiecto nusquam *adibo*, sed tam prope praecedit ubique ut audiatur. ergo ne hic quidem *hominem* vel *hunc* a priore verbo vere separari potest. Pers. 524

ac suo periculo is emat qui eam mercabitur,

1) *aut — aut* heroid. XVIII 32.

2) Exemplum recentissimum in titulo labentis, immo lapsae antiquitatis carm. epigr. lat. 1424, 14 *divis semper erat et tua larga manus*.

ubi *eam* in Ambrosiano omissum est, *is eam amat* Ritschelius scripsit, idem cum Bothio Pseud. 576

nam omnes res perinde sunt

ut agas, ut eas magni facias

transposuit *agas eas*; quale emendationis genus semel iterumque memoravisse satis habeo. accedit Most. 220

eundem animum oportet nunc mihi esse gratum, ut impetravi,
atque olim, prius quam id extudi,

de quo versu dubitare magis licet, quoniam *gratum* quo loco positum est non Plautinam habet gratiam et concinnitatem. Asin. 181

is dare volt, is se aliquid posci.

ut *dare* sic etiam *poscere* sine obiecto poni potest, sed ubi alteri adiectum est ad alterum desideratur, atque ubi utrumque audiverit, qui structi sermonis vim recte sentiet ad utrumque verbum pertinere *aliquid* senserit. dubitari potest Rud. 1371

neque edepol tibi do neque quicquam debeo

quicquam an ad prius quoque verbum audiendum sit; nam praecedit *propera* — *reddere argentum mihi*. sed gravior est elocutio si quod non daturus est leno infinitum enuntiat. item dubium est an Most. 890 *ferocem facis quia te erus amat* pronomen etiam ad prius verbum trahatur. ex coniectura insertum pronomen est, sed recte ut arbitrator, Rud. 1195

ego hodie neque speravi neque <illud> credidi.

traditus est cum figura sed non sine iactura versus Livi Andronici trag. 14 R., quem ascribam ut scribendum proposui quaest. Plaut. p. 82:

quin, quod parere vos maiestas mea procat,
toleratis templo <leto>que hanc deducitis?

unum verbum est, sed pronomen personale ἀπὸ κοινοῦ positum Curc. 696

obsecro, Planesium, et te, Phaedrome,

cui loco ascripsi a Sammonico Sereno ex 'Furii vetustissimo libro' relata verba ex devotione urbis (Macr. sat. III 9, 11) *Tellus mater teque Iuppiter obtestor* et Terenti Eun. 1086 *Phaedria et tu Chaerea* (cui consimile Bacch. 754 *Mnesiloche et tu Pistoclere*), addere poteram Ciceronis pro Quinct. 22 *obsecro, C. Aquili vosque qui adestis in consilio* et Horati illud *Demetri teque Tigelli* vel ex carmine recenti sed Romano carm. epigr. lat. 733, 3 *Agaton amabilis teque defleam Yppolite dulcis*; quibus adfines Aetnae v. 82 *Minos tuaque Aeace in umbris iura canunt*; omnia ut appareat quam latina locutio sit, licet graeca sit: A. P. IX, 49 (et 134) *Ἐλπίς καὶ σὺ Τύχη μέγα χαίρετε.*

Tradita quidem est figura, ut sensit Niemeyerus stud. *Plaut.* p. 5, sed non recte tradita *Trin.* 802

quin tu hinc amoves et te moves?

de quo satis dictum in adnotatione. sed addendus est ex comicis Afrani versus 186 R.

proin tu, cum quaeram, ne requiram te vide.

atque licet subicere versus in quibus hyperbaton est magis quam ἀπὸ κοινοῦ, *Aul.* 613 *quin ubi accersat meam ex templo filiam ducat domum*, *Mil.* 32 *mihi te narrare tuas qui virtutes sciam*, quo etiam *Truculenti* refero ut emendavi versum 10 *Athenis mutabo ita ut hoc est proscaenium*¹⁾.

Quam facile figura non a novellis tantum editoribus eliminatur Vergili versus *Aen.* III 659 docere potest *trunca manu pinus regit et vestigia firmat*, cui scholion grammatici secus intellegentis ascriptum *cuius caecitatem manu pinus regit*; sed Quintiliano in structura non erat laborandum, qui in exemplari suo legèrit *trunca manum pinus regit*; quippe his ut absoluta sententia utitur VIII 4, 25. Ex Ovidio adfero *am.* III 14, 29 *da populo, da verba mihi* (in anaphora ut *Pers.* V 110 *iam nunc astringas, iam nunc granaria laxes*) et artificiosius composita *art.* II 199

arguet, arguito, quidquid probat illa probato,

quod dicet dicas, quod negat illa neget,

ubi *quidquid* ut ad *probat*, *probato* sic ad *arguet*, *arguito* spectare apertum est; cui loquendi generi contrarium conferre non alienum est, *Plauti Pseud.* 863 *si iste ibit, ito, stabit, astato simul*. item in sententiam specie separatam reiectum nomen *Culicis* v. 227 *instantia vidi alterius: sine respectu mea fata relinquens ad pariles agor eventus*, de quo dixi p. 75.

Vt in subiecto verbi, in obiecto quoque accidit ut expectetur quidem, sed in adiuncta sententia non accusativo casu proferatur. locutio non obscura *Asin.* 135

nam in mari repperi, hic elavi bonis

ubi *repperi* <rem> fuit qui coniceret; item *Mil.* 718

pol si habuissem, satis cepissem miseriarum e liberis.

paulo intricatiora *Men.* 729

at mihi negabas dudum surrupuisse te,

nunc eandem ante oculos attines,

scilicet non *eandem* auditur in priore sententia, sed *pallam, cam, istam*, id est notione idem sed nondum auctum oppositionis vigore, vide p. 11 sq. ad *Trin.* 671. sed critici in alia omnia abierunt.

1) *Carm. lat. epigr.* 98 *seu mortis miseret seu te vitae, perlige.*

In nominum cum nominibus compositione saepius deprehendimus commune nomen in medio positum duorum ad quae pertineat; item nomen verbis duobus subiecti obiective vice interpositum subinde legimus. Trin. 169

adesurivit magis et inhiavit¹⁾ acrius

lupus observavit, dum dormitarent canes:

gregem univorsum voluit totum avortere.]

horum versuum qui secundum primum faciunt cum Kiesslingio nescio an sententiae tenorem a poeta institutum contorqueant. qui lupum ut opinor dixit fame avidiore adactum occasionem praedandi quaesivisse, non occasione captata magis magisque esuriisse; nempe canes ubi dormire sensisset, intruendi in gregem tempus erat, non acrius inhiandi. sic Lesbonicus pecuniae cupidine incensus dum Callicles ruri versatur eo 'absente atque insciente aedis venalis inscripsit'. *lupus* autem ad verbum sequens ut ad priora cum pertineat, neque in nomine secundum versum incohante haerendum est nec nomine ad priorem retracto alterius versiculi manifesta concinnitas corrumpitur. pari modo compositi sunt versus Rud. 17

qui hic litem apisci postulant peiurio

mali res falsas qui impetrant apud iudicem,

ubi item atque in illis perinde est ante an post nomen quod est *mali* distinguas. item obiectum commune verbis non conexas Stich. 669

volo eluamus hodie peregrina omnia

relinque,

Aul. 313

collegit omnia abstulit praesegmina,

Merc. 744

nam qui amat quod amat si habet, id habet pro cibo.

cum his comparabo Ovidi versus, de quibus multae ut in talibus solet virorum doctorum opiniones sunt et coniecturae, heroid. IV 135 sq.

illa coit firma generis iunctura catena,

imposuit nodos cui Venus ipsa suos.

nec labor est celare licet; pete munus ab illa:

cognato poterit nomine culpa tegi.

hic cum vulgo sic distingueretur: *nec labor est; celare licet* atque alii, *nec labor est celare* cum comprehendere studerent optimo iure,

1) *inhiavit* trisyllabum est, cf. Vahlenus Herm. XV p. 258, Buechelerus ad carm. lat. epigr. 56, 3.

id ut assequerentur sequentia emendarent (*licet peccemus, amorem Palmerus*), nuper Ehwaldus sic distinxit: *nec labor est celare: licet*, recte quidem sentiens ille quae res sit; atque sentiendum id quoque est poetam non minus dicere voluisse *nec labor est celare* quam *celare licet* et infinitivo in medio posito utramque sententiam pariter necessariam artificiose complexum esse. sed quaeritur quid haec verba sibi velint *pete munus ab illa*; in quibus et ipsis artificium distinctionis quaesivit Ehwaldus (*pete munus: ab illa cognato e. q. s.*), discernens ut opinor quae natura conexa sunt. est sane artificium, sed in syntaxi enuntiationum. quoniam dixit eam generis iuncturam firmissimam esse quam Venus suis nodis confirmaverit, Hippolyto dici *pete munus ab illa* ita tantum potest ut a Venere munus petere iubeatur (quibus verbis ipse art. II 575 abusus est detorquens εἰς τὸ κακέμφοτον), quod munus esse non potest nisi ut Venus affinitatem amore astringat. sententias autem ita conexuit ut imperativum pro enuntiato condicionali posuerit, cuius structurae Plautinum, quoniam in eo versamur, exemplum adferam Rud. 1010 *tange: adfligam ad terram te itidem ut pisces soleo polypum* (et inverso ordine v. 1015 *mittam: omitte vidulum*), sed Cicero saepe sic locutus et coniunctivo Ovidius condicionali cum futuro in apodosi frequenter usus est, ad hoc exemplum: *perdat opes Phaedra: parces, Neptune, nepoti*¹⁾. sic igitur horum versuum sententiam circumloquemur: 'quod si vereris ne operiri non possit flagitium, celandi copia est; tu modo adfinitatis vinculum fac vi Veneris intendatur: hoc ipsum, quod novercae ac privigni nominibus tenemur, culpam occultabit'.

Nominativo et accusativo ἀπὸ κοινῶν positus adiungendus est datus vel si quis alius casus est a verbo priore diiunctus²⁾, velut Pseud. 447

hic dux, hic illi est paedagogus,

Stich. 653

salutem ut nuntiaret atque ei ut diceret;

Asin. 136 sq., cuius breviculi cantici et huius fabulae unici iam antea duos versus verborum compositione simili insignes indicavimus,

1) Cf. Sen. trag. I p. 224, ubi quae attuli sane augeri possunt, cf. am. I 4, 29 metam. VIII 187 fast. II 153, heroid. XX 55, Verg. Aen. VI 30 sq., Prop. IV 5, 9, Germ. Arat. 445 et Ciceronis de har. resp. 55, Philipp. XI 19 XIII 25 praeter alia a Kuehnero gramm. II p. 760 sq. congesta.

2) Cic. epist. I 9, 22 *tibi erit eidem, cui salus mea fuit, etiam dignitas curae* sententia relativa inserta est dativi particeps.

ingrata atque inrita esse omnia intellego
quae dedi et quod bene feci, at posthac tibi
male quod potero facere faciam meritoque id faciam tuo.

in sententiam adiunctam reiectus est dativus Mil. 1126

atque illaec quae dixi dato (scil. illi),
aurum, ornamenta quae illi instruxisti ferat,
et ab eius verbo attractus ablativus Pseud. 93

ut me defraudes, drachumam si dederim tibi
(sic *AB*, *drachuma CD*), item dativus Mil. 597

ne uspiam insidiae sient
concilium quod habere volumus,
quae attractio sane facilior reddita est nomine in versus initio po-
sito; de hoc et similibus cf. Bachius de attr. inv. p. 29; audacius
Curc. 519

opust hoc qui te procures,
scilicet *opust (tibi)*. huc pertinent versus Pseud. 1019 sq.

nimisque ego illum hominem metuo et formido male,
ne malus item erga me sit ut erga illum fuit,
ne in re secunda nunc mi obvortat cornua,
si occasionem capsit qui sit <mibi> malus;
atque edepol equidem nolo, nam illi bene volo.

quorum versuum ultimus ita cohaeret cum antecedentibus, ut ad
verbum quod est *nolo* ea notio subaudiatur quae in illis regnat,
i. e. *malus esse*, ea autem ut sequentibus demum verbis determine-
tur, quo pacto intellegatur quae Pseudoli sententia est *equidem
nolo illi malus esse*; cf. Bacch. 660 *malus sit malis*; atque v. 612 *mih
Vssingius inseruit*¹⁾.

Transeundum est a nominibus ad verba communi vice collo-
cata; quo in genere maxime pervagatum est ut verbum commune
post vocabulum ponatur quod secundum tertiumve membrorum pa-
rium structorumve pariliter vel copulatorum incohat; merum hy-
perbaton dixeris, nam si verbum in fine duorum colorum positum
esset, figura nulla esset. non inusitata compositio Ciceroni, qui
scripsit de har. resp. 46 *ut <modo se his>, modo vendat illis*
(supplementum Lambini haud ambiguum), pro Clu. 177 *cum iam
tortor atque essent tormenta ipsa defessa*, de nat. deor. II 164 *eam-
que gradatim ad pauciores, postremo deducere ad singulos*, 84 *ex*

1) De Luciliano *per saturam aedilem factum qui legibus solvat* dixi Hermae
XXIV p. 69.

terra aqua, ex aqua oritur aer, pro Marc. 19 *quae non modo summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere* et in versione Sophocleorum Tusc. II 20 v. 3 *nec mihi Iunonis terror implacabilis nec tantum innoxia tristis Eurystheus mali*. sic Catullus ter (*iam me prodere, iam non dubitas fallere, perfide*) ac subinde Vergilius (*quam si dura silex aut stet Marpessia cautes*), saepe Horatius, particulam copulativam potissimum ut excipiat verbum¹⁾, nec raro Tibullus Propertius Ovidius (cf. am. II 5, 45; 6, 17 sq.; III 12, 33 art. III 11. 730) ceterique. sic igitur e veteribus Caecilius v. 91 *quod prolubium, quae voluptas, quae te lactat largitas?* atque in tragoedia Ennius v. 200 *cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluae*. non aliter Plautus Pseud. 440

tu quod damni et quod fecisti flagiti
et loco optima emendatione restituto Rud. 508

scelestiorem cenam cenavi tuam

quam quae Thyestae quondam aut posita est Tereo
(*quondam anteposita est* codd.). in verbo substantivo Pseud. 356

tu qui pius, istoc es genere gnatus, nummum non habes
(sic *A*, *pius sistoc* i. e. *pius es, istoc P*) vel Merc. 852

egomet mihi comes calator equos agaso armiger,
egomet sum mihi imperator,

Curc. 501

odio et malo et molestiae, bono usui estis nullo.
sed haec iam ad aliud genus rettuleris.

Nempe intricatior evadit dictio ubi non membra coniuncta sed sententiae principalis et secundaria vel suo iure utentes duae vel adeo sententiarum coniunctarum paria commune verbum habent quod posterius elatum prioribus retribuitur. discernendum autem est inter verbum duas sententias regens atque verbum ad priorem ita pertinens ut eius infinitivus ad prioris sententiae verbum retrahatur. atque duae sententiae ubi uno verbo reguntur, fieri saepe non potest quin forma qua verbum ubi effertur, id est in

1) Vnum Horati locum indicabo, qui multum vexatus et obscuratus claram lucem accipit ubi ad hanc quam tractamus figuram verba composita esse intellexeris: epod. 16, 15 *forte quid expediat communiter aut melior pars malis carere quaeritis laboribus*; hoc est: forte (melior pars) quid communiter expediat (quaeritis) aut e. q. s., *ἴσως οἱ χρηστότεροι ζητεῖτε τί ἂν τῷ κοινῷ συμφέροι ἢ καὶ τῶν κακῶν ἀπαλλαγῆναι ἐπιθυμεῖτε*. proprietas compositionis in eo est quod praeter verbum nomen quoque (*melior pars*, cf. 37 *pars indocili melior grege*) commune est et quod verbi non constructio tantum variatur, sed significatus quoque; significat enim priore loco proprie quaerentes, altero studentes cupientes.

posteriore enuntiatio, utitur, non eadem audiatur in priore; unde multiplices eloquendi species oriuntur, quas ad syllepsin vel brachylogiam scholastici referre solent. in universum autem, si recte observavi, poetica elocutio etiam in audaciore sententiarum nexu maiorem pronuntiandae subaudiendaeque formae aequabilitatem quaerit, minorem pedestris et cottidiana. simplicissima ratio est, ut verbum commune in fine positum sit, velut, ut hic quoque a Cicerone exordiar, Philipp. XII 12 *quod si ea quae decrevimus obruere, num etiam memoriam rerum delere possumus?* VII 24 *quid? C. Caesari, qui illum urbe, quid? D. Bruto, qui Gallia prohibuit?* de fin. II 65 *non enim hilaritate nec lascivia nec risu aut ioco, comite levitatis, saepe etiam tristes firmitate et constantia sunt beati.* solutior locutio ad Att. XV 1, 1 *quid mihi iam medico? aut, si opus est, tanta inopia est?*¹⁾ ceterum non raro ea utitur specie, ut verbum non comparens alia forma audiatur quam deinde enuntiat; quaedam attulit Madvigius ad locum de fin. III 21 *quod ὀυλογίαν Stoici, nos appellemus convenientiam.* simile ad Att. V 21, 4 *Laenio tuas commendationes et statim verbis (sc. probavi) et reliquo tempore re probabo,* de fin. IV 5 *qui sit finis bonorum, mox; hoc loco tantum dico,* pro Clu. 52 *si quaesiveram, quae inimicitiae Scamandro cum Habito, fatebatur nullas fuisse* (ubi Kayserus fuisse insert); simili audacia hoc quoque Philipp. II 118 *mecum ut voles: redi cum re p. in gratiam*²⁾.

1) Circumscriptam verbi formam Cicero satis audacter distraxit in pulcherrima consolatoria ad Brutum I 9, 2 *ac mihi tum, Brute, officio solum erat et naturae, tibi nunc populo et scaenae, ut dicitur, serviendum est.*

2) Saepe infinitivum alteri parti reservat, in membris copulatis ut epist. I 7, 2 *eos maxime qui te et maxime debuerunt et plurimum iuvare potuerunt,* VI 13, 1 *quia neque lenire videbar oratione neque levare posse dolorem tuum,* in sententiis coniunctis epist. VII 3, 5 *me voluisse etiam reliquis omnibus, postquam non potuerim, mihi ipsi finem fecisse belli* (et constructione consimili Tusc. I 49 *tot rationes attulit, ut velle ceteris, sibi certe persuasisse videatur*), Philipp. VIII 3 *ita fit ut bellum sine tumultu possit, tumultus sine bello esse non possit,* Brut. 292 *aliquotiens sum conatus, sed interpellare nolui.* talia non Plautus, sed ex vetustioribus Cato apud Frontonem p. 100 *ita inductum est male facere impoene, bene facere non impoene licere,* Lucilius 956 *uti pecudem te asinumque ut denique nasci praestiterit mulum,* ac postea Horatius (in copulatis et iustum poterat et scribere fortem, namque pila lippis inimicum et ludere crudis, subtilius qui nescit versus, tamen audet fingere) Vergilius (ecl. 1, 57 georg. IV 178 Aen. VII 692. IX 12). cf. carm. epigr. lat. 987, 2 *cum possem matri dulcis et esse patri.* illud non probabile, voluisse Ciceronem de fin. I 2 *ne movere hominum studia viderer, retinere non posse* ad movere intellegi posse; quo aequaret Taciti audaciam, cuius nota sunt illa *quae filio dare imperium, tolerare imperitan-*

Plautus ubi in fine verbum habet res plana et aperta est; non tam aperta Trin. 332

mercaturan an venales habuit ubi rem perdidit?
nam hic verbum ad *mercatura* pertinens in sententiam alteri verbo subiunctam recessit, ut recte Brixius exposuit. non recte dictum vidi de versu Mil. 893; ascribam locum ut emendavi, sed ultimum versum ut in *B* legitur (*quid bonum faciemus CD*):

A. Si quid faciendumst mulieri male atque malitiose,
ea sibi immortalis memoriast meminisse et sempiterna;
sin bene quid aut fideliter faciendum eisdem veniat,
obliviosae extempulo fiunt, meminisse nequeunt. 890

P. Ergo istuc metuo, quom venit vobis faciendum utrumque:
nam id proderit mihi, militi male quod facietis ambae.

A. Dum nescientes quod bonum faciamus, ne formida.

versum 889 (*faciendum si eadem veniunt codd.*) correxi secundum responsum v. 891, quo facto v. 890 (*extemplo ut fiant codd.*) ultro in veram speciem redit; de plurali post nomen singulare (item v. 894 *mala mulier mers est. ne pave, peioribus conveniunt*) dixi ad Curc. 495, conferri debet Truc. 465 sq. de v. 893, quae vulgata lectio est, *dum ne scientes quid bonum faciamus*, ea sententiae nequaquam sufficit. dixerat Acrotelementium male facere mulieres posse, bene non posse; respondet senex in hac re et bene et male faciendum esse; tum illa, recte se rem effecturas dum modo nesciant bene faciendum esse: non dum nesciant vel dum ne sciant quae res bene facienda sit. sequitur *quod bonum faciamus* idem esse quod *bonum nos facere* et Plautum voluisse: 'dum (faciamus) nescientes bonum nos facere'. quod genus constructionis recentiori latinitati usitatissimum a Plauto non alienum esse scimus, in eodem verbo apparet Asin. 52 *quidem scio iam filius quod amet meus*, eiusdem generis est Truc. 382 *sed quid ego facinus audivi adveniens tuom, quod tu hic me absente novi negoti gesseris?* ubi *negoti* genitivus ad verbum eam rationem habet quam Most. 1017, Poen. 641, Phorm. 709 (quaest. Plaut. p. 92³).

Verbum substantivum in priorem sententiam retrahitur, licet deesse possit, Trin. 826

contra opera expertus,

nam pol placido te et clementi — usus sum in alto,
cf. Men. 404 *quasi supellax pellionis, palus palo proxumust.* sic

tem nequibat (Ann. XII 64, cf. XIII 56); qualem ascribunt Plauto probantes Truc. 496 *quae alios conlaudare, eapse sese vero non potest* propter Nonii codicum errorem.

Cist. 297

praestigiator, siquidem hic non es atque ades
male in libris *es* ascriptum est post *praestigiator*, ac similiter Amph.
828 *est* post *nimis*. huc pertinet Pseud. 575

neque quod dubitem neque quod timeam, meo in pectore con-
ditumst consilium,
ubi *est* in priore sententia magis necessarium est quam in altera.
in periodi condicionalis duplicis altera apodosi verbum comparet
Most. 671, ubi interroganti seni *bonam fide?* Tranio respondet
siquidem tu argentum reddituru's, tum bona,
si redditurus non es, non emit bona.

atque rectius fortasse poetae consilium assequemur ne protasi qui-
dem priori verbum inserentes substantivum sed relinquentes *reddi-
turus*. ascribam rhetorici scriptoris verba simili modo composita,
Columellae VII 5, 3 *curemusque, si ex calore et aestu concepta
pestis invasit, ut opaca rura, si invasit frigore, ut elegantur aprica,*
ubi dubitare licet de verbis quae sunt *si invasit frigore*¹⁾.

In his igitur verbi eadem forma quae deinde redditur antea
expectatur; non item in aliis. simplicis locutionis exemplum verbo
in fine posito Capt. 399

non tuom tu magis videre quam ille suom gnatum cupit,
in quo et *gnatum* ad prius membrum aequae pertinet et verbum,
sed *cupis*²⁾. Cas. 825 quod Olympio respondet Pardaliscæ Casi-
nam personatam hortanti ut virum defraudetur:

malo maxumo suo hercle ilico, ubi tantillum peccassit,
in apodosi praemissa audiri non potest *peccassit*, sed *peccabit, pec-
caverit*. nimirum cum vera ellipsi non ponitur *malo tuo* et similia,

1) Properti et Vergili quaedam audacter concepta indicavi mus. Rhen. XXXV
p. 435 (de Prop. I 1, 19. 20 recte Rossbergius lucubr. Prop. p. 4 sq.). interiecta
protasi heroid. XVIII 119 *veniens huc esse natator, cum redeo, videor naufragus
esse mihi*, pulcre Tibullus II 4, 55—60. ceterum ne chartae spatio nimis abutar,
poetarum exemplis parco; sed non retinebo Goethii versus insigni arte compo-
sitos (Fausti 9213 sq.):

So hohe Würde wie du sie vergönnt,
als Richter, als Herrscherin, und wärs
versuchend nur, wie ich vermuthen darf;
so ü b' ich nun des Richters erste Pflicht,
Beschuldigte zu hören. Rede denn.

2) Amph. 186 *quod numquam opinatus fui neque alius quisquam civium sibi
eventurum, id contigit, ut salvi poteremur domi*: hic *sibi* pronomem per cursum
orationis tertiam personam induit, quo figurae aliquod simularum evadit; nam
mih *eventurum* priore loco auditur.

sed ut verbum enuntiatur in aliis (*at cum cruciatu mazumo id factumst tuo, ne tu istuc cum malo magno tuo dixisti in me, audivi ecustor cum malo magno tuo*), sic accedit ex praecedentibus Aul. 425 *sine, at hercle cum magno malo tuo, si hoc caput sentit* (praecedit *an quia minus quam aequom erat feci?*), Asin 129 *at malo cum tuo* (item *bene merenti mala es, male merenti bona es*), cf. Truc. 923; Amph. 793 *at cum cruciatu iam, nisi apparet, tuo* simili modo atque Cas. 825 prodosis inclusa verbum reddit quo opus est *non apparet*; certe si aut hic aut illic sententia condicionalis nulla adiuncta esset, liceret ex antecedentibus pari iure verbum assumere. Curc. 511

quasi aquam ferventem frigidam esse, ita vos putatis leges compressa dictio recte intellegitur si et *esse* ad utrumque membrum trahitur et *putatis*: 'quasi aquam ferventem frigidam esse (putetis), ita vos putatis leges (esse)' scilicet frigidas cum sint ferventes. non dissimili ratione intricata verba sunt Cas. 91

quia certumst mihi,

quasi umbra, quoquo tu ibis, te semper sequi (*quoquo ibis tu te persequi P*). hic Lambinus *umbrae* correxit, quo simplicior quidem sed minus subtilis evadit oratio; nam *umbrae* non idem valet quod *umbrae tuae*. sed in verbis ut tradita sunt *umbra* vim suam recipit ex sequentibus, non tantum auditur *quasi umbra* (*sequitur*), sed hoc ipsum 'quasi umbra te semper sequitur'. Capt. 1005

sed erus eccum ante ostium et erus alter eccum ex Alide rediit

constructio grammatica postulat ad prius *eccum* ut verbum addatur astantem significans: id auditur ex eo quod deinde enuntiatur *rediit*. grammaticae autem rationi accedit rhetorica, nam Hegionem expectaverat Tyndarus, Philocratis aspectu obstupescit: sic quasi interrumpit verborum compositionem, sed ut non plane incidatur. similiter atque Most. 671 structa est sententia Curc. 470 sq.

qui periurum convenire volt hominem, ito in comitium;
qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinae sacrum,
ditis damnosos maritos sub basilica quaerito.

hic si dixisset *qui ditis* e. q. s., relativae sententiae essent *qui mendacem* et *qui ditis* (*convenire volt*); ut verba structa sunt, hoc voluit poeta: 'qui mendacem (quaerit), apud Cloacinae sacrum (quaerito)', altera protasi, 'ditis (qui quaerit)' artificiose succisa et verbo applicata. sed interpungunt editores leniter post v. 470, finaliter post 471, quasi *apud sacrum* cum eis quae sunt *ito* (aut ut in libris est *mitto*) in comitium coniungi possit; in qua coniunctione corruptum

esse *apud* coniecit Muellerus pros. p. 552, vir nimirum latine eruditus. sed alii intellegere videntur.

Verbi substantivi tempus anticipatur aliud quam deinde enuntiatur Most. 159

eventus rebus omnibus, velut homo messis magna
fuit,

ubi *eventus* praesentis temporis verbum flagitat, et v. 933

hic quidem neque convivarum sonitus, item ut antehac fuit,
neque tibicinam cantantem neque alium quemquam audio,
cf. quaest. Plaut. 245. 256⁵.

In interrogatione auditur quod in responso refertur verbum Mil. 614

quid tibi, Pleusicles? P. Quodne vobis placeat, displiceat mihi? *quid tibi* quo nitatur in eis quae praecedunt nihil est, ergo ex sequentibus fulcrum quaerit nec potest quod insequitur placendi verbum non retrahi illuc.

Alterum genus id esse dixi quo verbi in altera sententia positi infinitivus priori verbo retribuatur; quemadmodum Cicero ad Att. XVI 11, 4 *de tertio pollicetur se deinceps, sed nihil scripsit*, ubi in Mediceo a correctore ascriptum est *scripturum* post *deinceps*; Philipp. II 38 *ego incolumitati civium primum, ut postea dignitati possemus* (scil. *consulere*), *ille praesenti dignitati potius consulebat*; pro Clu. 10 *etenim tibi si in praesentia non potuero, tamen multae mihi ad satisfaciendum reliquo tempore facultates dabuntur*, paulo artificiosius verbi gerundio adiecto alterius enuntiati verbo finito; atque hic quoque codices praeter Salisburgensem et Laurentianum *T* post *in praesentia* inseruerunt *satis facere*. aptum exemplum Sallusti in oratione Cottae (II 47, 4 Maurenbr.) *qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia voluere, usi sunt*. his statim apponam Properti versus, ut vindicem optimam et post Italos ab omnibus quantum video derelictam codicum scripturam; sic enim in editis legitur IV, 7, 73

nutrix in tremulis ne quid desideret annis

Parthenie: patuit nec tibi avara fuit.

non negamus *patuit* suum explicatum habere, sed potius quam significare videatur quod volunt 'faciles aditus praebuit', ad eum verbi sensum ultro rettuleris quem habet metam. XIV 133 *si mea virginitas Phoebus patuisset amanti*, de quo Heinsius ad am. II 19, 25; non apte quidem de nutrice. atqui in libris traditum est *potuit*, sententia igitur tradita haec est: 'potuit tibi avara esse nec fuit'; quam verbis illustrari aut commendari non oportet. sic plane Ovidius art. II 53 *aera non potuit Minos, alia omnia clausit*

atque, ut hoc addam, fast. II 62 *nec satis est homines, obligat ille deos.* item carm. lat. epigr. 1558, 5 *Dacia te voluit, possedit Micia secum.*

Plautina huius generis exempla ad Capt. 238

pol ego si te audeam, meum patrem nomen
attulit Brixius haec: v. 303

memini quom dicto haud audebat: facto nunc laedat licet,
Pseud. 120

si neminem alium potero, tuom tangam patrem,
Asin. 248

nam si mutuas non potero, certumst sumam faenore,
cf. 96; addi possunt Asin. 354

si erum vis Demaenetum,
quem ego novi, adduce,
Truc. 757

unum aiebas, tria iam dixti verba, atque ea mendacia,
scilicet 'aiebas te dicturum'; denique v. 158 ut emendavi:

male quae in nos vis, ea omnia tibi dicis, Diniarche
(*illis pro vis codd.*); *quoi non vis* Buechelerus, sed structura verbi
ut hic mutatur Bacch. 463 *compesce in illum dicere inuste.* L. *Tace:*
stultus es qui illi male acgre patere dici qui facit. his Plautinis ad-
iungo Ennianum trag. v. 274

qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam,
nam concinnitas sententiae postulat ut 'sibi semitam monstrare'
intellegatur.

Denique verbum subinde Plautus medium posuit inter duas
sententias ut ad utramque pertineret. sic intellegendum esse signi-
ficavi Aul. 167 sq.

istas magnas factiones, animos, dotes dapsiles —

nil moror quae in servitutum sumptibus redigunt viros,
ubi *quae* non possunt res significare sed uxores. belle Tyndarus
Capt. 682

dum ne ob male facta, peream, parvi aestumo
et 690

qui per virtutem, perit, at non interit.
item Capt. 959

si eris verax, tua ex re, facies ex mala meliusculam,
quibus locis quae adnotavi conferas; hic autem non *facies* tantum
ad antecedentem dictionem, sed *re* ad sequentem pertinet. etiam
Mil. 631

si albicapillus hic, videtur neququam ab ingenio senex
simpliciore hanc habet rationem quam si verbum substantivum

apodosi inseratur. his addo rude carmen tituli Rhenani (carm. lat. epigr. 1104, 2) *hoc tibi pro meritis, sit tibi terra levis*, de quo adeunda Buccheleri adnotatio, et artificiosum Ovidi am. II 5, 49, quod non recte interpunctum vidi:

qui modo saevus, eram supplex utroque rogavi,
oscula ne nobis deteriora daret

(nam *supplex utroque* si coniungis, inversus oritur climax) et Stati silv. I 1, 57 *nec ferro aut acre, laborant sub genio* atque II 6, 6 *alte tamen et procul, intrat | altius in sensus*, quae verba et sic scribenda et propter sermonis figuram verbum ad sequentia quoque pertinens in versus fine poni potuisse significavi de Stati silvis p. 16.

Porro de adverbiiis dicturi ac de eis quae non speciem sed vim usumque adverbiorum habent hic quoque inter membra copulata atque sententias coniunctas discernemus, sed non ea locorum multitudo est, ut diligenti dispositione opus sit; adverbia autem discerni debent ad nomina aut ad verba quae accedunt. simplicissimum genus in nominibus coniunctis quale Aristophanis Ran. 119 *καὶ μήτε θεομῆν μήτ' ἄγαν ψυχρὰν λέγης*¹⁾, vel Ciceronis epist. XII 28, 1 *metuisti igitur ne gravis civis, ne nimis fortis, ne nimis te dignus viderere*; in verbis copulatis coniunctisve Cicero epist. V 8, 5 *ut intellegeres nihil neque te scripsisse neque quemquam tuorum frustra ad me detulisse*, de or. I 39 *num aut inventa sunt aut cognita aut omnino ab oratorum genere tractata?* (cf. Lucr. II 55 ac saepius *veluti pueri trepidant atque omnia caecis in tenebris metuunt*) pro Quinctio 59 *et in hac eius modi causa P. Quinctius laborabit et diutius in tanto metu miser periculoque versabitur?* ad hanc igitur rationem Plautus apud nomina Amph. 285

ego pol te istis tuis pro dictis et male factis, furcifer,
accipiam,

Merc. 362

nec sacrum nec tam profanum quicquamst quin ibi ilico adsit.
quo referendum esse etiam Bacch. 618

inimicos quam amicos aequomst med habere,

malos quam bonos par magis me iuvare,

licet comparatio in priore versu satis enuntiata sit, aequabilitas

1) De interpretatione minime dubitandum, sed fortasse de totius versus origine, qui insequentium sermonum vim debilitat; multo enim magis ridicula v. 122 *παῦε, πνιγηρὰν λέγεις* et 125 *ψυχρὰν γε καὶ δυσχέιμερον*, si non prius deprecatus est viam aestuosam nimis aut frigidam.

compositionis ostendit. item dubitari potest de versu Amph. 166

opulento homini hoc servitus durast,

hoc magis miser est divitis servos.

in eodem adverbio Terentius Hec. 159 *maligna multo et magis pro-
cax facta ilico est*, cf. Hor. sat. I 2, 123 *ut neque longa nec magis
alba velit quam dat natura videri*¹⁾. denique si Epid. 341

pro di immortales, mi hunc diem dedistis luculentum,

ut facilem atque impetrabilem

contendimus non necessario priore loco post *diem* inseri *ut*, certe
non alienum Plauto loquendi genus imputamus. apud verbum
Truc. 677

novos omnes mores habeo, veteres perdidisti:

vel amare possum vel iam scortum ducere.

ib. 239

nam eccestor numquam satis dedit suae quisquam amicae amator
neque pol nos satis accepimus neque umquam ulla satis poposcit,
ubi *numquam* priore versu positum vim figurae imminuit (*umquam*
om. P). Mil. 781

quam potis tam verba confer maxime ad compendium
et pariliter Merc. 122

quam restito tam maxime res in periculo vortitur.

item pari modo Epid. 253

id paratum et sese ob eam rem id ferre

atque Pseud. 543

si sumus compecti seu consilium umquam iniimus

aut si de ea re umquam inter nos convenimus,

ubi in codicibus ascriptum est priori versui et post *iniimus* recep-
tum *de istac re*. Men. 1034

apud teo habitabo et quando ibis, una tecum ibo domum.

similis compositio evadit ubi sententia condicionalis quae ex prin-
cipali adverbium assumpsit eam sequitur, velut Asin. 442 *aibat red-
dere quom extemplo redditum esset* vel Capt. 434 *ne tu me ignores,
quom extemplo meo e conspectu abscesseris*. in qua specie imitanda
lapsus est M. Aurelius scribens Frontoni (II 13 p. 36) *perendinus
dies meus dies festus erit, si certe tu venis* (vel *venies*).

Quid in hoc genere sibi permiserit sermo non poeticum sonum
affectans sed liberae artis potens, ostendere possunt Horati versus

1) Trin. 200 *neque mendaciloquom neque adeo argutum magis* Bergkiius
coniecit, nescio quam vere (*mendaciloquius AP*, *adeo om. P*), cf. Niemeyerus stud.
Pl. 5. etiam Most. 30 *quo nemo adaeque iuventute ex omni Attica antehac est
habitus parvus nec magis continens* necessitatem non habet retrahendi adverbii.

A. P. 348 sq.

nam neque chorda sonum reddit quem volt manus et mens
poscentique gravem persaepe remittit acutum,
nec semper feriet quodcumque minabitur arcus.

nam tametsi secundo verbo adiectum est adverbium, tamen primo verbo id demum subicitur quod tertio accedit, ut adnotavit Kiesslingius; nempe *neque-nec* ut verba duo coniungit sic adverbium duobus locis ut sentiatur facit. permulta autem in adverbiiis potissimum ut in adiectivis, de quibus diximus, poetae ita instituerunt ut grammatica quidem nulla necessitas sit retrahendi nominis, dubitare autem de consilio poetae legentis sensus fere non possit. qua de re exemplo utar Tibulli. qui quod dixit II 3, 67

o valeant fruges, ne sint modo rure puellae:

glans alat et prisco more bibantur aquae,
nemo facile dubitabit *prisco more* ut ad aquas sic ad glandem referre. II 5, 121

adnue, sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli,

sic tua perpetuo sit tibi casta soror

errabit si quis *perpetuo* tantum quo loco positum est vim habere contendet; imitatur Lygdamus 6, 1 *sic sit tibi mystica vitis semper sic hedera tempora vincta feras* adverbio medio. I 1, 71

iam subrepet iners aetas neque amare decebit

dicere nec cano blanditias capite

admodum mihi probabile est voluisse poetam *cano capite* commune reddere comparanti Pl. Merc. 305 *tun capite cano amas, senex nequissime?* similiter *nocte serena* I 2, 61, *facili manu* verbis subtili arte compositis (nam etiam *mature tempore* et *rusticus* communia sunt) I 1, 7:

ipse seram teneras mature tempore vites

rusticus et facili grandia poma manu.

Medium inter verba duo ut Lygdamus l. s. adverbium posuit, sic Plautus Stich. 93

non sedeo istic vos sedete; ego sedero in subsellio,

Mil. 1187

atque ut iubeat ferri in navim si quid imponi velit,

Men. 302

qui tibi saepissime

cyathisso apud nos quando potas.

atque subtilius Bacch. 669

quid vos maestos tam tristesque esse conspicio?

de quo loco satis dictum est in relat. societ. Gotting. 1895 p. 429 sq. ex hoc usu intellegitur versus, de quo incredibilia multi protule-

runt, recta de verbis non de sententia Naekius Val. Cat. p. 132, Dirarum 96

sive eris et si non mecum morieris, utrumque.

hoc scilicet dicit: 'si mecum eris, mecum morieris, si non mecum eris, mecum morieris', cui duplici asseverationi pro sigillo impostum est *utrumque*. denique his quoque subscribam Goethii verba simplicioribus illis figurae exemplis convenientia, Fausti v. 9242 :

Ich vergass des Wächters Pflichten
völlig das beschworne Horn.

Ultimo loco ponemus coniunctiones praepositionesque. una coniunctio est *ut* quam non semel Plautus in communi collocat, et ubi nomina duo uni verbo adiuncta sunt coniunctione traiecta : Amph. 842

tibi morigera atque ut munifica sim bonis, prosim probis,
Most. 414

tranquille cuncta et ut proveniant sine malo¹⁾;
et ubi duo verba a coniunctione pendent: Amph. 9

ea adferam, ea uti nuntiem

quae maxume in rem vostram communem sient,
Poen. 912

valeas beneque ut sit tibi
ubi sane *valeas* coniunctionem non flagitat (antecedit *numquid aliud me morare?*) sed adiunctam sibi quoque vindicat; Epid. 267

continuo arbitretur uxor tuo gnato atque ut fidicinam —

ulciscare atque ita curetur, usque ad mortem ut serviat, de quo loco non certum est iudicium, quoniam verbum unde sententia pendeat desideratur; certe *arbitretur* et *ulciscare* ut copulata sunt duas res significant quae ut fiant Epidicus suadet.

Praepositionis ἀπό κοινοῦ positae cum graeci poetae inde ab Odysssiae μ 27 ἢ ἀλὸς ἢ ἐπὶ γῆ; multa exempla habeant (cf. Wilamowitzius Her. I p. 62), apud latinos vetustiores perpauca sunt; ut Ciceronis unum habeo quod adferam, pro Mur. 21 *summa in utroque est honestas, summa dignitas; quam ego, si mihi per Servium liceat, pari atque in eadem laude ponam*, ubi alii ex Bakii coniectura *parem*, alii ex Lambini Italive cuiusdam *eadem* in scribunt. illud quod attinet, servanda esse censeo *pari atque eadem* nomina coniuncta, de qua societate vide quae adnotavi ad Bacch. 1109; de positura praepositionis, etiam Plauti unicus locus est et indubitatus,

1) Cf. Hor. sat. I 4, 107 *cum me hortaretur, parce frugaliter atque viverem uti contentus*, 9, 50 *nil mi officit, inquam, ditior hic aut est quia doctior* Verg. Aen. XI, 174 *esset par actas et idem si robur ab annis*.

Asin. 163

solus solitudine ego ted atque ab egestate abstuli,
quo loco paronomasia et tutatur compositionem et ut videtur effe-
cit. alterum exemplum emendatione reciperatam est, Pseud. 123

P. De istac re in oculum utrumvis conquiescito.

C. Oculum anne in aurem?

(*oculum utrum anne in aurem P, utrum an in aurem A*). sed haec
lenior est compositio, cum praecedat *in oculum*, atque similis est
Lucreti V 128

sicut in aethere non arbor, non aequore salso
nubes esse queunt neque pisces vivere in arvis
nec cruor in lignis neque saxis sucus inesse

vel Platonis Euthyd. 278 A σὲ δὲ τοῦτο διαλέληθεν, τὰ τὸν ὄνομα
ἐπ' ἀνθρώποις ἐναντίως ἔχουσιν κείμενον, τῶ τε εἰδῶτι καὶ ἐπὶ τῶ
μῆ: nam sic scriptum est in Bodleiano, in Veneto ἐπὶ τῶ τε εἰδῶτι
καὶ ἐπὶ τῶ μῆ cui vulgatae lectioni Schanzius suam substituit
τῶ τε εἰδῶτι καὶ τῶ μῆ. etiam Terenti unum exemplum est Ad. 344
*peiore res loco non potis est esse quam in quo nunc sitast*¹⁾, item Lu-
cili v. 332 *fluctibus a ventisque*, Lucreti IV 147 *sed ubi aspera saxa
aut in materiem ligni pervenit* atque in simili causa Catulli 33, 5
cur non exilium malasque in oras itis; cui tamen admodum probabili-
ter figuram altero loco restituit Scaliger, 55, 3 *te campo quaesivi-
mus minore (in minore V), te in circo, te in omnibus libellis*. Hora-
tius semel in carminibus, III 25, 2 *quae nemora aut quos agor
in specus*, et bis in epistula II 1 (v. 25. 31), neque Propertius aut
Tibullus plus quam singulis locis: Propertius II 1, 46 *qua pote
quisque in ea conterat arte diem*, et verbis cum arte divisus Tibullus
I 2, 39

nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natam,
is Venerem e rapido sentiet esse mari,
nam audiri voluit 'is (e) sanguine natam (esse Venerem)', ut deinde
(natam) esse', licet *sanguine natam* praepositione non egeat. Ver-
gili unum locum (Aen. VI 692) Bentleius ad Hor. carm. III 25, 2
attulit (et Stati duo, Theb. VIII 384 Ach. II 104), addendi sunt
Aen. VII 296 *medias acies mediosque per ignes invenere viam* et IX
427 *me, me (adsum qui feci), in me convertite ferrum*. Ovidi quoque
pauca afferre possum exempla: met. VII 708 *pectore Procris erat,*

1) Phorm. 476 *idem hac re ut in aliis Calliopianorum pars, in hac re ut in
aliis reliqui, in hac re ut aliis Bembinus*, cf. Dziatzko ad v. 171 idemque ad
Ad. 344.

Procris mihi semper in ore, trist. I 8, 39 sed scopulis — inque feris Scythiae Sarmaticisque iugis (ubi praecedit *non ego te genitum placida reor urbe Quirini*; atque haec duo dedit Koldewey p. 355) et ex amatoriiis art. I 723 *aequoris unda debet et a radiis sideris esse niger* et heroid. VI 107 *illa sibi Tanai Scythiaeque paludibus udis quaerat et a patria Phasidis usque virum*; quibus versibus plerisque, Ovidi dico Vergili Properti aliorum, id proprium est ut nomen praepositionem quaerens in initio totius enuntiationis positum sit, non sine consilio. Stati epicorum duos locos attuli, tres dabo ex silvis: I 2, 56 *an terris saevire an malit in undis*, 3, 50 *quidquid et argento primum vel in aere minore lusit*, V 2, 132 *quasnam igitur terras, quem Caesaris ibis in orbem?* vides ne in his quidem poetis, qui figurae genus aliis intentius excoluerunt, causam esse admodum fortem, cur hunc compositionis usum ex graeci sermonis imitatione repetamus.

Contrarium genus, quo pars orationis in priore membro posita etiam in altero auditur, quod et ipsum ad figuram ἀπό κοινοῦ rettulerunt grammatici antiqui et novellorum quidam (velut Akenus 'de figurae ἀπό κοινοῦ usu apud Catullum Tibullum Propertium' tantum de hoc genere dixit, de altero promittens), diversum ab illa figura et causa esse et effectum iam indicavi; non igitur haec eius pertractandi occasio est, quod praesertim Plauto abiudicari non soleat quodque a commentatoribus passim exemplis comprobatum sit. sed quid intersit inter vocabulum anticipatum sensu aut repetitum ut oculis proponam, exemplis defungar, nisi constructionis proprietates plura proferri suadet, ex multitudine electis.

Verbum finitum, ut ab eo exordiar, saepe in priore tantum sententia ponitur, ut in his dupliciter: *si adhibebit fidem, etsist ignotus, notus, si non, notus ignotissimum* (Rud. 1043), vel Merc. 437 *adnulat addam sex minas. C. Septem mihi*, sed saepe etiam ita ut numerus vel persona vel genus vel tempus aliud postea audiatur quam antea positum sit: Epid. 619 S. *Ego te servabo. E. Edepol me illi melius, si nacti fuerint cum verborum lusu*; Curc. 623 *at ego, quem licet, te scilicet post haec: licet antestari?* T. *Non licet*; Stich. 528 G. *Quid agitur, Epignome?* E. *Quid tu?* scilicet *agis*; sic futurum ex praesente Pseud. 380 B. *Negoti nunc sum plenus. P. Paulo post magis, ex perfecto Merc. 1000 missas iam ego istas artes feci. D. Et quidem ego dehinc iam, cf. Bacch. 348, ex imperativo Pers. 47 quaere tamen, ego item sedulo*¹⁾. artificiosius Merc. 464 *at*

1) Eur. Hec. 519 *νῦν τε γὰρ λέγων κακὰ τέγξω τόδ' ὄμμα, πρὸς τάφῳ θ' ὄτρ'*

me incusato: te fecisse sedulo, ubi dicendi verbum aliud auditur, Rud. 1074 *quid? tu idem mihi vis fieri quod erus consuevit tibi?* ubi *facere ex fieri* (cf. Stich. 448 et infra Cas. 1011), Merc. 650 *si ibi amare forte occipias atque item eius sit inopia*, ubi *quod amas ex amare*; qualia Ciceronem saepe admisisse nec sine duritie sermonis notum est, vide quae Madvigius adnotat de fin. p. 187. 291. 315, Vahlenus de leg. p. 87. 119. etiam audentius quam in illis verba Plautus construxit Curc. 331:

scires velle gratiam tuam, noluit frustrarier,
 ut decet velle hominem amicum amico, atque opitularier,
 nam ad *opitularier* auditur *voluit non noluit*, id autem ut facilius sentiretur interiectum est illud *velle*. Capt. 984 *Paegnium vocitast, post vos indidistis Tyndaro*: sic respondet interrogationi quae fuit *quid erat ei nomen?* Epid. 77 *quia perire solus nolo, te cupio perire mecum, benevolens cum benevolente scilicet 'perire volo' non 'perire me cupio'*, ut verborum structura ostendit. saepe communis est infinitivus, ut Cas. 810 *illo morbo quo dirumpi cupio non est copia*, Merc. 621 *quid me facere vis?* C. *Idem quod me vides*, cf. Capt. 141 Most. 841; audacius sic ut ex verbo finito infinitum audiatur: Aul. 277 *quod cclatum atque occullatumst usque adhuc, nunc non potest*, Cas. 548 *nunc vale atque istanc iube*, 1011 *duobus nupsi, neuter fecit quod novae nuptae solet* (scil. *fieri*), Most. 896 *tibi obtemperem, cum tu mihi nequeas?* Rud. 968 *hunc homo feret a me nemo, ne tu te speres potis*, cf. Pseud. 655 sq. Terentius quoque eundem in modum: Eun. 372 *tu illis fruare commodis quibus tu illum dicebas modo*, Heaut. 976 *nil suscenseo nec tibi nec tibi nec vos est aequom quod facio mihi*, in eundem Cicero de fin. II 106 *laboribus hic praeteritis gaudet, tu iubes voluptatibus*, ad Att. XV 12, 1 ac saepe, Lucretius V, 36 *quo neque noster adit quisquam nec barbarus audet*. Terentius liberius in hac specie quam apud Plautum inveni And. 866 *ego pol hodie, si vivo, tibi ostendam, erum quid sit pericli fallere, et illi patrem*, ubi et *illi* et *altrinsecus patrem* omne enuntiationis complementum ex verbis praecedentibus arcessit; fere ut Cicero ausus est, sed minutis colis et concisis, Tusc. I 87 *caret oculis, odiosa caecitas; liberis, orbitas*.

Nominis substantivi priore tantum loco positi item exempla multa sunt, cf. Stich. 336 Capt. 211, adn. ad Cist. 58, Most. 119, atque ut pendere genetivus videatur Epid. 446 *nam strenuiori deterior si praedical suas pugnas, de illius illae fiunt sordidae* et Trin. 545

ἄλλω. mire, ut aiunt, Vergilius Aen. VII 684 *quos dives Anagnia pascit, quos Amasene pater*.

*Campanus genus multo Surorum iam antedit patientia*¹⁾: non multo lenius quam Martialis III 36, 5 *ut in thermas — te sequar Agrippae, cum laver ipse Titi* aut paulo recentior epigrammatista carm. lat. epigr. 1535, A, 7 *set non hic Manis nec templa Acherusia visit, ad caeli quoniam tollitur iste Pius*. pronominis haec exempla: Asin. 214 *nunc neque quid velim neque nolim facitis magni*²⁾, Poen. 337 *sunt illi aliae quas spectare ego et me spectari volo* (scil. a quibus), Merc. 869 *non amittunt hi me comites qui tenent*, Rud. 245 *ut vix mihi credo ego hoc, te tenere* (scil. me), Asin. 527 *illos qui dant eos derides, qui deludunt deperis*, Mil. 425 *quis tu homo es aut mecum quid est negoti?* (scil. tibi).

De adiectivo vel participio inspicias Amph. 531 *non ego te hic lubens relinquo neque abeo abs te*, Cure. 304 sq. vel Rud. 522 *quia ego indignus sum, tu dignus qui sies*, scilicet 'miser', cum praecesserit *miserior*; de praedicato Pers. 584 *si tibi venisse est opus, mihi quoque emptast*. ad duo nomina adiectivum Stich. 378 *peristroma tonsilia et toppetia*, non audacter ut Vergilius Aen. XII, 35 *recalet nostro Thybrina fluenta sanguine adhuc campique ingentes ossibus al-bent* aut Statius Ach. I 938 *o dulcia furta dolique, o timor*, nam timorem quoque dulcem dicit; aut, ut eius quoque cultissimos versus ascribam, Ovidius heroid. II 103

quid precor infelix? te iam tenet altera coniunx

forsitan et, nobis qui male favit, Amor,

qui hanc argutiam inesse sententiae volebat, ut Amor deus intellegi deberet, ut qui et teneret Demophontem et male favisset Phyllidi, tamen alter amor diceretur alterius scilicet coniugis. simplicius idem XII 205 *dos mea tu sospes, dos est mea Graia iuventus*, qualis locutio sane figurae vim et venustatem in se possidet. audacius rursus imitator in Acontio v. 35

en iterum scribo mittoque rogantia verba:

altera fraus haec est quodque queraris habes.

non enim satis est intellegi quod enuntiatum audimus *quod queraris habes*, sed 'quod iterum queraris'; de priore querimoniae causa v. 26 dixerat *id me quod quereris conciliare potest*. ergo ex adiectivo quod est *altera* subauditur in altero sententiae membro *iterum*.

1) Restituit traditam scripturam Niemeyerus, sed quod exemplum compositionis contulit Mil. 777 *Alexandri praestare praedicat formam suam*, id nec eiusdem generis est nec probabilem sermonem habet; correxit Guietus *formae*.

2) Cf. Amph. 503 *edepol haud quod tui me neque domi distaedeat*. Trin. 668 (v. p. 47).

Adverbium in membrorum arte conexorum priore Trin. 668 *nil sic celerest neque volat* i. e. neque sic volat vel potius tam celeriter¹⁾; membris inconexis Men. 125 *illic homo se uxori simulat male loqui, loquitur mihi*, Epid. 376 *sed nimis longum loquor, diu me estis demorati*. subiunctam sententiam adverbium habere quod principalem potius sensu attingat, usus notissimus est in illis *si hercle, quom extemplo*. alius generis haec sunt Asin. 158 *quam magis te in altum capessis, tam aestus te in portum refert*, Rud. 1301 *ita quanto magis extergeo, rutilum atque tenuius fit* (ubi magis tantum ad rutilum satis valet, sequitur nomen comparativum) et Rud. 857 *quos mecum duxi, hunc qui ad carnificem traderent*, nam ad eam rem auxilio amicorum uti volebat, non amicis quasi apparitoribus. notissima praepositionis quoque illa positura est *cum eadem qua tu semper*, cf. Terenti Ad. 961 *quodnam ob factum? multa* (v. p. 43 ad Pseud. 124) et Varronis de l. l. V 56 *sic reliquae triginta (tribus dictae) ab his rebus quibus in tribuum libro scripsi*. denique coniunctionis in priore tantum parte positae exemplum Pseud. 863 *si iste ibit, ito, stabit, astato simul* (v. s. p. 28).

Tam varios modos nativae licentiae artisque Plautinae in vocabulo communi collocando si contemplanur, id quoque considerandum est, quantopere vetusti item ac familiaris sermonis indoli convenerit nomen ad duas sententias pertinens non in altera utra sed in utraque ponere, velut Mil. 387 *ego lacta visa, quia soror venisset, propter eandem suspicionem maximam sum visa sustinere*, 1284 *alium alio pacto propter amorem ni sciam fecisse multa nequiter, verear magis me amoris causa hoc ornatu incedere*, 1293 *nam quaevis alia quae morast aequae, mora minor ea videtur quam quae propter mulieremst et quae aliorum generum exempla Bachius attulit de attr. inv. p. 8 sq. et graeca Lobeckius Aiakis p. 167. sane mirari licet in uno genere compositionis varietatem formandi sermopis et figurandi. atque volueram simul cum hac disputatione aliarum figurarum Plauto usitatarum usum artemque persequi et quatenus ad insitam sermonis naturam quatenus ad artem extrinsecus arcessitam redirent perquirere, velut figurarum quas scholastici vocant *ἐν διὰ δυνούτῳ, καθ' ὄλον καὶ μέρος, διὰ μέσον* vel orationem trimembrem, variationem in verbis repetitis et iuxta positis, apostropham absentium et in soliloquio suimet ipsius, adnominatiois genera et lusus verborum ex ea nascentes, vocabulorum coniunctis sensu ad-*

1) Lucr. V, 474 *quod neque tam fuerunt gravia ut depressa sederent nec levia ut possent per summas labier oras*.

finium conformationem comicam; sed ingentem materiam iustis numeris digestam proponere cupientem nunc quidem tempus animusque deficit atque alia officia vetant. ergo rursus huius Plautini operis consummatio in aliam occasionem reicienda est, nisi interim aliis exsequi placebit.

This book should be returned to
the Library on or before the last date
stamped below.

A fine of five cents a day is incurred
by retaining it beyond the specified
time.

Please return promptly.

DUE FEB 21 1923

DUE MAY - 8 '42

DUE JUN - 7 '48

MAR 1 9 '58 H

OCT 25 '60 H

Lp 26.013.2
Analecta Plautina de figuris sermon
Widener Library 002414105



3 2044 085 222 206